EX L. VT VIM 3. D. IVST: ET JVRE.

QVÆSTIONES

Iuris controversi

12.

Autore

ADAMO REVTER. Cothusio L. Silef.

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

Ann. Dom. 1609.

EXLVT

VIM S. D. IVST:

ET IVRE.

QVÆSTIONES

Iuris controversi

12.

Auctore

Adamo Reyter, Corbusio L.

Siel.

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

Ann. Dom. 1609.

REVERENDO, CLARISSIMOQVE *Viro, Dn. GEORGIO RYVES SS. Theologiæ Doctori, florentissimæ Oxoniensium Academiæ Collegij Novi Custodi dignissimo, Vicecustodi etiam, reliquisq; eiusdem Collegij socijs doctissimis humanissimisq; fautoribus ac amicis suis.*

Iri, Reuerende, Consultissimi, Ornatissimi, Doctissimi: Lupũ, quod aiunt, aurib. teneo, & totus in nutãtium cõstitutus cogitationum æstu, ambiguum distrahor animum. A fronte siquidem gravissima comminata pœna ad arę Gratitudinis haut frequẽti collustratæ flamma, litandum invitat pietas; à tergo, æqua lance libratam quæ beneficiorum & compensationum metitur medietatẽ, detinet Severitas, Detinet: & quidem merito. Quis enim ego peregrinus? An sufficiens tanto honori? quem florentissimorum Oxoniensium aduenam studiorum toti Angliæ Dea domestica Humanitas blanda susçepit dextera, docto fouet & nutrit sinu? Quem, nihil tale commeritũ quotidiè ipsa per orbem certo fulgentia candore Academiæ huius Numina, mẽsis excipiunt lautis, colloquijs

erudiùnt doctis, exemplis instruunt pijs? Hæc cogitans: Nullus sum inquam. Vincant merita. Pereundũ est potius quàm non condignas referre gratias. Sed en recolligo me, Deo sic annuente; & pereundum dico, esset, nisi me multijugis officijs orbi Germanico nota vestra liberaret humanitas, & vela inopia mea caperata, vestra efficeret turgida copia, & imparem me tantis in me collatis beneficijs favorę, Collegij Novi vos coruscantia lumina, vester sublevaret, & hæc jejuna Gratitudini suspendenda blanda cogeret violentia. Accipite igitur strenas chartaceas primitias haisce ex Themido shorreo depromtas, maiora expectate ab alijs, me amate. Valete. Cursim ex Musæo. Oxon. *Calen. Ian. Anno.* 1609.

Observ.

ADAM REVTER L.

EX L. VT VIM. 3. D. DE IVSTIC. ET IVR. QVAESTIONES IVRIS CONTROVERSI. 12.

QVAESTIO 1.

PAVCIS quæstionibus de materia Defensionis, quotidiana ea, vtili & necessaria *Obrecht de Defens. necessar. th.* 1. acturis nobis prima offertur ea: *An sit? & si sit, quanam sit ratio dubitandi ad d. l. 3. D. Iust. & Iur.* Missis reliquorum, de quibus infra, opinionibus, negatiuæ accedimus sententiæ, idq; duplici ex ratione, remotione nimirum & generis & specierum. In genere quod nulla sit, patet ex ipsa continuatione *d. l. 3. ad l. 2. & l. 1. parag. fin. & parag. penult. D. eodem*, quæ talis est, vt d. l. 2. & d. l. 3. tantum sint exempla illustrantia præcedentia, & quasi accessoria quædam principalium, & ita invicem se habeant vti regula & eiusdem exemplum. Quod ex ipso textu manifesto apparet. Post quam enim Ictus Vlpianus Iuris diuisionem in publicum & privatum proposuit *d. l.* 1. missio publico, aggreditur privati subdivisionem; &, privatum, inquit, ius tripertitum est; collectum etenim est ex naturalibus præceptis aut gentium aut civilibus *d. l. 1. parag.* 2. Deinde subdivisionis huius singula membra describit: ius naturale *in d. l. 1. par.* 3. ius gentium *d. l. 1. parag. 4. iuncta l.* 2. 3. 4. 5. *D. eodem.* 2 ius civile, *in l. 6. cum seqq. D eodem*. Nec describit tantum, sed exemplis additis confirmat & illustrat *d. l. 1. par.* 3. 4. *l.* 2. 3. 4. 5. ideoq; vtitur & Ictus vocabulis regularum declarationem significantibus. *Hinc*, inquit, de iure naturali loquens, descendit maris atq; fœminæ coniunctio *d. par.* 3. *&* apertius vocabulo *veluti d. l.* 2. quod exempli nota est, vt vel hoc vnicum probat *Ciceronis* dictum 1. de Natur. Deor. „Bestiæ,

quæ gignuntur in terra, veluti crocodili. *Donell. 1. Comment. 7. Bart. ad. l. 1. par. 2. D. b. t.* Cum autem omne exemplum, quatenus exemplum, fundatum sit, & auctoritatem suam habeat ex ipsa regula quatenus regula, cuius est exemplum & declaratio *d. l. 1. par. 4. l. 2. l. 1. ff. de Iust. & Iur. l. creditorum. 11 inst. l. seq. D. de V. S.* qui fieri poterit, vt in exemplo sit dubitandi ratio, quod tamen sese fundat in ipsa regula? aut quis dubitationem hauriret ex consequente, & non potius ex antecedente, vt propter quod consequēs verum esse dicitur vel falsum? *arg. l. 3. parag. fin. D. offic. eius cui mand. est iurisd.* Annon huic sententiæ apertè repugnat l. nemo plus D. de. R. I. vt quæ in quæstione translati dominij in emptione venditione similiq; modo legitimo inspicit antecedēs & causam quasi efficientem, & ex ea concludit ad consequens? Annon ex eodem fundamento orta est hæc apud Ictos frequentissimè occurrens regula: Qui vult consequens vult omne necessariò antecedens? *l. fin. parag. fin. D. offic. ei. cui mand. est iurisd. l. cui iurisdictio. 2. D. iurisdict.* imò ipse textus h. l. in decidendi ratione siue decisione respicit ad antecedentia. Dicit enim: Nam iure hoc. Quo? Gentium. de eo siquidem loquitur d. l. 1. par. fin. evenit vt quod quisq; ob tutelam corporis fecerit, Iure (sive iustè quasi iure gentium iustum esset semetipsum defēdere) feciſſe existimetur. *Hoc* emphasin hic habet, alias tauto logia committeretur ab Vlpiano, vt qui alterum per alterum probaret, & incertum per æquè incertum explicaret, quod tamen admittendum non est. Nulla igitur hic est vel etiam esse potest dubitandi ratio, aut si quæ est, in fundamento potius erit, quæ tamen & ipsa ibidem nulla. Si enim admitteretur ibi, an non simul admitteretur totum nostrum ius lubricis impositum fundamentis? Totum dubitationis & incertitudinis plenum? Annon aperiretur laxatissima calumnijs eorum, qui ius nō natura sed opinione tantum constare clamitant, seneſtra? Annon omnia omnium Impp. rescripta, Ictorum responsa, iudiciorum decreta, omnes denique politię succisis iustitiæ, ex

sen-

sententia & *Clementis* & *Methodij apud Stob. serm.* 52. quadratæ, poplitibus corruerent, fundamentis hisce eversis? Annō meritò argueretur stultitiæ & mendacij Iustinianus noster, quasi qui falsò *in proœm. instit.* dixerit. Imperatoriam maiestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam, vt vtrumq; tempus & bellorum & pacis rectè gubernari possit? Non igitur, vt veniamus ad remotionem specierum, ferendus nobis videtur *Anton. Faber, Ictorū acutissimus, & acutissimorum iurisconsultissimus* qui *in Rational. adh. l.* 3. dubitandi adfert rationem hanc: quia, inquit, etiam in brutis animantibus omnibus, cum illud est, vt vim vi repellant *Cic. 1. offic.* videtur ergo esse Iuris naturalis. Omnis siquidem dubitatio dubitandiq; ratio oriatur necesse est ex illa ipsa re de qua dubitatur, sive ex verbis, siue ex mente. *arg. l. 1. & tot. tit. D. reb. dub. arg. l. quæritur.* 10. *D. stat. homin.* Quod & ipsa natiua vocabuli *dubitationis* ostendit significatio, & *dubij. Dubius* dicitur, qui duas vias habet, & vtram eligat nescit; sicut ambiguum, quod in ambas agi partes possit. Vnde & Cicero: *ad Herenn.* Dubium genus, inquit, est, cum habet in se & honestatis, & turpitudinis partem. Et Ictus, *in l. admonendi* 31. *D. Iureiur.* causam dubiam dicit ex parte probatam, ex parte nondum probatam. Quod idem Faber in reliquis ad leges adductis dubitandi rationib. vt & decidendi acutè admodum probat. Quæ autem in h. l. vel ex verbis, vel ex mente, vel ex re ipsa dubitandi ratio? Nulla sanè. Annon enim expressè loquitur de hominibus tantum? Annon de iure gentium tantum? Accedit, dubitandi rationem petendam esse ex ipsa decisione causarum rationeq; decidendi, vt quæ quasi correlata altera alteram explicet. Quod ipse Faber elegantissimè probat. Decidendi autem ratio *in h. l.* est agnatio illa naturalis, non inter omnia animalia, sed inter homines tantum. De hominib. enim tātum loquitur, non de reliquis animantibus: Hominem homini insidiari nefas est. Non igitur admitti poterit, rationem dubitandi secundum *Fabrum* eam esse; ius nimirum hoc cō-

mune

mune esse bestijs cum reliquis animalibus, hominibus; de quo plurib. infra. Nec tamen interim negamus, nullã omnimò esse in legibus, aut esse posse dubitandi rationem: sed in h. l. nullam admittendam censemus, ne videantur inter se juris nostri principia pugnare, vt quæ tam certa sunt, vt cum eodem Fabro *in præfat. Rational.* affirmemus, non certiorib. principijs Mathematicas ipsas, quàm jurisprudentiam constare, nihilq; in libris juris nostri esse quod non certa constantiq; ratione fulciatur, nullam rationem quæ non ad principium aliquod revocanda ex eoq; æstimanda sit. Rejicimus & *consultissimum, Obrecht Corp. disput. suarũ disputat. tert. th.* 8. hanc adferentem dubitandi rationem, quia nempe jure divino & humano prohibitum sit homicidium. Melior sanè opinione *Fabri*, nec tamen admittenda: *jure* enim tum divino tum humano considerato inspectoq; inveniemus illud vtrumq; dum occidere aliquem prohibet, simul permittere; imò jubere vt vnusquisq; sese defendat, tam ex schola Theologorum, quam jureconsultorum. Theologorum. Sic enim illi de præceptorum Decalogi interpretatione dant canones. 1. Sententiam cuiusq; præcepti sumendã esse ex fine seu scopo propter quem est datum, nempe ex fine proximo. *Iohan. Piscator aphorism. doctr. Christian. loc.* 8. *apho.* 9. Huius autem; *Non occides*: ibidem eodem attestante, est ordinis politici conservatio. Hic autem ordo & eiusdẽ conservatio, non minus pertinet ad eum qui offendit, quã ad eum qui offenditur. Imò magis ad hunc. Hic enim sese non defendendo, quid aliud agit, quam quod malum in republica volens esse sinit, & se virum, hoc in defensionis casu *jussum* reip. eripit? Deinde, *vt idem Piscator*, cum relativis etiam sanciuntur correlativa, quoniam illa sine his nequeunt subsistere *d. apho.* 9. Cum offensa igitur prohibita mandata est defensio. Addo, talem, qui se, dum potest, non defendit, in gloriam Dei, ad quam creatus est, committere, dum contra ius divinum, imaginem Dei ad quam conditus est, propria voluntate, & ita malitiosè in semetipso eorum.

pi patitur. Nec patitur, sed ipse agit, & in hoc Christi peccat: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Quid enim talis aliud facit, quam: quod se non defendendo gladij sibi contra ius divinum assumit potestatem? Quod ipse quoq; nobiscum fatetur *Obrecht d. disp. 3. th. 19. cum seqq. & Vnsenb. D. de iust. & iur.* Nam lex, inquiunt, illa: *Non occides*: non solum præcipit, ne alios interficias, sed etiam vt te ipsum defendas & tuearis. Nisi enim te defendas, efficis, vt lex, Non occides: in tua persona violetur. Subijcimus nos, non solũ facere vt in persona propria violetur, sed ipsum quoq; alteri sese non defendendo dum potest, violentas inferre manus, duplicatumq; committere homicidiũ. Si enim sese defendisset, potuisset fortasse & se & alterũ, aut se tantum servare. (Solent siquidem multi, quod quotidiana testatur experientia, dum alios ad se defendendum paratos vident, non solum de furore suo & atrocitate quid, sed quandóq; omnem remittere.) Iam autẽ se non defendendo facit, vt nõ minus sibi ipsi sed & adversario severissimę sententiæ onus imponat, id quod supra ex scriptura retulimus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ex jure autem humano & Ictorum schola, dum is, qui sese non defendendo, interfici sinit, rempubl: cive fraudat, & contra *l. liber homo. 13. D. ad leg. Aquil* constituit se dominum membrorũ suorum, quod tamen omnibus omninò prohibitum est, imò eo ipso mandatum vt omnis se suaq; in reipubl. commodum, cuius est membrum, conservet & vindicet: imò similiter, vt de jure divino sic & humano civiliq; duplex est homicida, & sui ipsius, & eius à quo occiditur. Quod textus h. l. non occultè innuit, dum dicit: vim vi repellere iustum esse, quia ne fas sit de iure etiam naturali hominem insidiari homini. Si nefas in eo qui insidiatur, nullum nefas in eo qui propellit insidias, imò maius, si potest & non propellit. Eo ipso enim facit, vt nefas, quod cõtra naturam est hominum, locum habeat, & duo simul nefariò reipubl. & societati humanæ eripiantur. Facit, inquam, non tantum patitur, contra Obrecht. Fa-

cit duplicem *arg. l. qui potest.* 174. *D. de R. I.* & quidē eo ipso dum non facit, hoc est se non defendit *l. qui non facit.* 121. *D. eodem.* Addo, nec quem, licet maximè velit facere, posse facere. In ijs enim, quæ sunt cōtra naturam, leges & mores, non minus deli... quitur etiamsi ex vtriusq; consensu ac voluntate delinquitur. *Petr. Ærod. Decret. ad Thuan. lib. 6. titi de remilit. exempl.* 24. idem est de Iure Canonico. Nec iuvāt *Obrecht*, quæ *in th.* 9. pro sententiæ suæ sive dubitandi ratione subijcit, ius nempe divinū & naturale esse immutabile, Fatemur esse immutabile, quis enim negaret? in eo qui fraudulēter & malitiosè cōtraq; præscriptū divinæ & naturæ legis hominē occidit. & 2, eo ipso dū in illo est immutabile simul est immutabile in hoc, qui sese, dum potest defendere, non defendit, condemnando. Ratio consecutionis: Quia dum expressè prohibet, & quidem immotè, alterum occidere: imperat & expressè immotéq; defensionem sui, vt ex supra adductis clarum. Manifesto itaq; ex iam dictis apparet, dubitandi hanc ab *Obrecht* allatam rationem, locū hic nullo modo habere, sed verum, legem hanc nihil aliud velle, quàm homicidium committere eum, qui se, dū potest, non defendit: quod in tantum verissimum statuo, vt simul hoc in casu reijciam illam vulgarem Dd. & interpp. *ab Obrecht th.* 16. *& Vuesenb. D. de iust. & Iur.* allatam distinctionem decidendiq; rationem: interdum nimirum accidere, vt lex naturalis, cū alia lege naturali cōcurrat, & eo in casu legē inferiorem cedere superiori. Vna enim eadēq; lex & prohibet, & eo ipso dum prohibet, iubet, vt supra demonstratum. Vna eademq; lex non potest hic esse & superior & inferior, prior & posterior. Vnde & Accursij opinio falsa esse demonstratur, qui distinguit inter forum soli, & forum poli, cum & defendendo se qui alterum interficit, excusatus sit lege divina. *Non occides*: & è contra, qui se, dum potest, non defendit, eadem lege condemnatus. Nec eum qui sese defendendo alterum occiderit mortaliter concedimus peccare, contra *Abb. Ludovic. Roman. Ioan Imol. & alios*, cum is qui

ta-

facit præscripta verbi divini nullo modo peccet, & ita nec mortaliter. Nec irregularem dicimus *cum Hugon. et Iohan. de Gofred.* Diximus vnumquemq; teneri lege divina & humana ad defensionem sui, quod tamen ita intellectum volumus, vt præcedere velimus offensam. Hæc enim, de qua nos loquimur defensione, legitima esse nullo modo potest, nisi altera illa, contra quam, fuerit illegitima. Excludimus enim defensionem illegitimam, contra executionem magistratus & aliorum ius coercendi habentium legitimam. idq; ex naturæ fundamento immoto. Quia, quorum corrumpentia bona sunt, ea mala sunt: & vice versa, quorum corrumpentia mala sunt, ea bona sunt: *arg. d. l. 3. l. 4. D. ad. leg. Aquil.* Si enim iure divino licet & concessum est magistratui punire impios, prohibitum nec concessum erit defendere se (licet propriè defensionis nomen non mereatur, vt quæ nullam habeat offensam, cuius respectu vocitetur defensio) adversus magistratum & è contra, si magistratui prohibitum erit Iure divino vel humano quem occidere, concessa erit eo in casu defensio, cum præsertim in defensione non inspiciamus personas offendentes vel defendentes, sed offensam ipsam & offendendi factum. Loquitur enim de *vi atq; iniuria* propulsanda Ictus *in d. l. 3.* non de persona à qua fuerit illata.

QVAESTIO 2.

Defensio an sit Iuris gentium, an naturalis?

VArię hic Dd. sunt opiniones; quidam enim Iuri naturali tantum, quidam naturali & gentium simul, quidam Iuri Civili attribuunt. Nos iuris gentium, non naturalis vel civilis dicimus. vtrumq; sequentibus ex rationibus. 1. Quia expressè hic à Icto refertur ad ius gentium & quidem ita, vt in præcidentibus evidentissimè posuerit prę miseritq; discrimen inter ius gentium & naturale, definiti-

oni vtriusq; & exemplis, haut certè aliam ob causam, quam quod eo omnem dubitandi rationem præcidere voluerit, maximè cum ipse deinde etiam eum qui ad defensionem sui aliquem occiderit, iustum pronunciet, iure, non naturali, sed gentium, dum *in d. l. 3.* hoc iure, inquit h. e. iure gentium, iustè fecisse existimatur. Nec sequentia nostræ desunt sententiæ, vt in quibus etiam statuitur tantùm esse iuris gentium defensionem. Sic enim Vlp. *in l. 4. D. iust. & iur.* vt demonstret se tantum retulisse *in l. 2. & l. 3.* iuris gentium exempla, exorditur: *Manumissones quoq; iuris gentium sunt. Quoq,* vocabulum asseverat, præcedentia esse tantum iuris gentium, vt ea de quib. *in d. l. 4.* loquitur, non iuris naturalis. Hæc enim est vis particulæ *quoq,* vt sequentia præcedentibus & præcedentia sequentibus eadem qualitate connexa demonstret. Licet igitur in superioribus quædam vel esset, vel esse posset dubitatio; ea tamen omninò *h. l.* tolleretur, vt quę expressè hanc de qua loquimur defensionem attribuit iuri gentium. Non igitur ferendus est *Donell. 1. comment. 7.* qui ex d. l. 3. conatur probare contrarium, nempe esse iuris naturalis defensionem. Quia, inquit, d. l. 3. loquitur de natura. Sed cũ verba sint intelligenda secundum subiectam materiam facilè patebit vocabulum *natura* non ad animalia bruta, sed ad homines tãtum referri: loquitur enim ibi expressè de natura hominum. *inter nos (homines) natura constituit cognationẽ quandam,* item: *ideoq, nefas est hominem homini insidiari.* Deinde cum antecedentia & consequentia sint interpretatio medij *arg. l. in simile. 12. D. de legib.* cui iam dubium esse potest, vocabulum *Natura* ad ius gentium esse transferendum, vt quod velint antecedentia & consequentia? Præterea ipsum *cognationis* verbum haut fert hanc *Donelli* interpretationem. Inter animalia siquidem bruta natura vix dici potest constituisse cognationẽ. Quod idem ex effectu huius patet cognationis ibidem, quem Ictus adducit: *consequens* inquit (cognationis huius naturalis) *est hominem homini insidiari nefas.* An autem hic effectus etiam in animalib. brutis inveniatur?

tur? Non, Quia ibi *minor esca maioris*. Quod probatione nulla eget. Insuper, si naturalis cognatio tam latè vsurpetur, vt & simul comprehendat animalia bruta, nefas certè erit & venari, & aucupari, & piscari. Ratio est, quia eadem prohibebit lex naturalis, vt cuius effectus in omnia animalia naturalia extenditur *d.l.1.parag.penult.* Quod tamen statuere est omnium absurdissimum, refragante & divino iure & civili Divino: Dominaberis omnibus animalibus. *Gen.1.v.28* Civili *tot.tit. D.de acquir,rer.dom.tot.tit.instit.de rer.diuis.* Taceo *cognationis* verbum à iure *in l.1.& tot.tit. D. de gradib.* & latinis auctoribus ad homines referri propriè, pro eorundē nimirum naturæ & sanguinis συγγενεῖα. Cicero 7. *in Verrem.* Nulla tibi Quinte cum isto cognatio est. Idem 4. *in Verrem.* Quo quisq; te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxima manus tua putabatur, Et Martial *lib.12.epig.* 44.

Vnice cognato iunctum mihi sanguine nomen:
Quiq; geris studijs corda propinqua meis:

Impropriè tamen & figuratè similitudine aliqua ad alias quoq; res, eiusdem tamen generis & quasi consanguinitatis aliquo nexu conglutinatas. Idem *Cicero pro Archia.* Etenim omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & cognatione quadam inter se continentur. Tandem necessum quoq; fuerit ex sententia Donelli eodem modo dici posse, religionem erga Deum iuris esse naturalis, & hominibus cum brutis animalibus communem. Quæ enim est, vel esse potest diversitatis ratio cur in hoc id affirmetur, in altero verò negetur? Iā autem id statuere est omnium absurdissimum: Quis enim vnquam est affirmare ausus religionem erga Deum esse in animalibus brutis? Quod solus tamen audet *Anton. Faber in Rational. ad d.l.2. D. Iust. & Iur.* Hanc adferens dubitandi rationem. *Quia*, inquit, *etiam in plerisq; animalibus sunt quadā signa & scintilla religionis.* Malè omnino. Quid enim est religio? Religio, inquit *Cicero 2. de iuvent.* est, quæ superioris cui-

 ius-

iusdam naturæ, quam divinam vocant, curã ceremoniãq; adfert. Quæ autem cura, quæ ceremonia superioris naturæ in animalibus brutis? Ceremonia omnis annon præsupponit certùm aliquem modum secundum quem debeat fieri? Sic enim *Vol. Max. lib. 1. cap. 1.* Maiores nostri statas solemnesq; ceremonias pontificum scientia, benè gerendarum rerum auctoritates, augurum observatione, Apollinis prædictiones, vatum libris, portentorũ depulsa Etrusca lingua explicari voluerunt. Vnde & Plutarchus *in vita Æmilij Pauli* religionem interpretatur divinarum rerum scientiã. Hanc eandem curam & legis præscriptionem innuit *Masurius Sabinus*, qui religiosum esse id scribit, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum sit à nobis, à relinquendo (quod sanè relinquere scientiam aliquam eiusdẽq; ad normam aliquam examen præsupponit, in animalibus autem non reperitur, sed in hominibus tantum, vt qui sua natura sciunt & venerantur Deum ex præscripto divinę legis etiã post lapsum in homine, teste *Paulo* Apostolo *Rom. 2. vers. 14. & 15.* reliquo) dictum. *Cicero. 1. de Nat. Deor.* à relegendo deducit, quia, inquit, omnia quæ ad cultum deorũ pertinent, diligenter pertractarent & quasi relegerent, sunt dicti religiosi à relegendo. At nec hoc in animalibus brutis. Accedit *Lactantius lib. 4.* qui, hac conditione, inquit, gignimur, vt nos generati Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis adstricti & religati sumus. de quo benè *Polydor. Vergil. lib. 1. de invent. rerum, cap. 5.* Atqui nec hoc in animalibus brutis, vt quę propter hominem eiusdemq; vtilitatem creata sunt, homo autem propter Deum & Dei gloriam. *Gen. 2.* Cõnexa quoq; cum sint religio & timor Dei δεισιδαιμονία, vt est apud Virgil. 8. *Æneid.*

Iam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci:

& ibi Servius, necessum erit in animalibus brutis quoq; sit timor. Timor autem in illis nullus. Vnde enim timor Dei?

Ex

Ex præſcriptione legum. *arg. d. l. 1. paragr. 1. D. iuſt. & iur.* præſcriptio autem legum quibus data? Num animalibus? Non; ſed hominib: tantum. Hominib: igitur competit religio, non vt animalibus, ſed vt hominibus; & pari modo defenſio, eritq; ita iuris gentium, non naturalis, vt quæ nulla ratione applicari poſſit iuri naturali, prohibente præter iam allata & hoc, quod omnis defenſio præſupponat offenſam, *d. l. 3.* Offenſa autem omnis eſt illegitima *d. l. 3.* illegitimum autem non æſtimatur, nec æſtimari poteſt niſi jure, accedẽte ratione *d. l. 3.* jus autem hoc vel agnitio ejuſdem in animalibus brutis nullo modo. Nec enim cognoſcit animal offenſa ſit & præter ius id quod patitur. Nullo modo igitur erit in animali ratione deſtituto defenſio. Relatorum enim remoto vno, removeatur neceſſum eſt & alterum. Et vt animal iuris omnis, ita & omnis iniuriæ eſt expers. Quia rationis, ex qua ius & iniuria æſtimatur, expers, prorſus eſt, Et cum analogia ſit inter defenſionem & offenſam in tantum vt hæc ſit cauſa illius, vt infra plurib. illegitima nimirum legitimæ, quo poterit eſſe modo in brutis? Illegitimam volumus offenſam h. e. talẽ, quæ fiat contra præceptũ iuris & legis: non attento à quocunq; fiat, etiam à furioſo. Lex enim generaliter loquitur, *vt vim vi propulſemus.* Deinde lex illa: *Non occides*, me ęquè obligat ad me defendendum, atq; obligat alterum ad me non occidendum. Dices non fieri quid illegitimè, niſi quod fiat dolo malo. Dolus autem malus in furioſo nullus, quia deeſt animus & ſcientia ex qua æſtimãtur delicta *l. 6 quia ſervum. 26. D. iniur.* Fateor: non fieri dolũ malum à furioſo, fieri tamen à me, dum, cum poſſum, me nõ defendo. Rectè enim ex animo doloſo æſtimatur dolus malus, & ex eo quod vel ſcit, vel ſcire debet, hoc ſi admiſerit, peccatum ſe commiſſurum, & ita in eo quod neſcit, eſſe dolum malum, propter latiſſimam culpam, quæ dolo rectè æquiparatur. *l. lata culpa D. de R. I.* Imò ex ſeveriſſimo Dei mandato, quod, vt abundè oſtenſum, fortiter lędo, dum me, non defendendo, occido. vnde *l. 3. D. ad leg. Aquil.* ſecũdum

præ-

præcedentem rationem interpretor, nempe, iniuria occisũ etiam eum, qui à furioso vel alio occidatur, si semetipsum non defendat, cum potuerit. Alias impunè facerent (nõ eo sensu quod statuam post mortem etiam quem corpus puniri posse, sed vt inhonesta morte, quæ hic maxima, omnes à peccato hoc absterream) servitutem fugientes si semetipsos vel furioso vel alteri interficiendos exhiberent; quod ferè ingenua ingenia seruorum feciſſe, & mortem seruituti prætuliſſe, testantur historiæ. Hac igitur interpretatione admissa, vt quæ est veriſſima, sequetur, non incongruam esse *Angeli, Decij, & aliorum* opinionem, qui verba legis *vim atq; iniuriam* coniungunt, & per ea intelligunt iniuriosam vim nec eos admittere fallaciam compositionis & diuisionis, cũ nihil, vt ex jã dictis constat, instantia illa de furioso, ad probationem contrariæ sententiæ faciat. Nec refragatur huic nostræ sententiæ, dum nimirum statuimus rectè dici vim iniuriosam in eo quando furiosus interficit interfici volentẽ, & se non defendentem: id quod vulgo dicitur: *volenti non fit iniuria*: quasi nimirum hoc in casu nostro nulla omninò ex neutra parte esset injuria, & per consequens, nullũ maleficiũ. Probãdũ siquidẽ esset cõtrariũ sentientibus, an quis id quod lex nolit, velle possit. Quod nos negamus. Impossibilia siquidẽ sunt ea quæ leges prohibẽt. Hoc autẽ quod prohibent, jã deductum. Conceſſo quoq; tali non fieri iniuriã, fit tamen legi & reipubl: vt propter quam potius latæ sunt leges, quam propter homines, *l. 1. D. de legib.* Vnde non cũ *Seneca* Stoicum laudamus, quod *Tullio Marcellino* ob diuturnum morbum de morte deliberanti, id ipsum persuadebat: sed seruos potius, qui *Marcellino* imperanti, vt ei mortẽ conscisceret, nõ parerent. Laudamus & eum, qui impeditus regiæ maiestatis atq; auctoritatis amplitudine, iubente *Saule*, vt eum interficeret potius quam victus à *Philistæis* in manus eorum incideret, noluit obtemperare. Et *David*, licet insidijs sæpè ante petitus à *Saule*, de eo Amalecita supplicũ sumsit, qui *Saulo* adiutor fuerat mortis sibi conscisc endæ.

Quid/

Quid? Domitianus imperator, qui Epaphroditum, *vt est apud Sueton. in Domit. cap.* 14. à libellis capitali pœna condemnavit, quod post destitutionem Nero in adipiscenda morte manu eius adiutus esse dicebatur, an non eandem laudem mereretur, si iudicio, nō metu ad hoc supplicium accessisset? Certè, & quidem apud Gallos, vt scribit *Gregorius Turonensis lib.* 5. Gailenus abscissis auribus, naribus, manibus pedibusq; occisus est, quod Merovethum filium Chilperici regis occidisset, quanquam imperante ac suadente Merovetho, ne is in patris potestatē ditionemq; perveniret. Quid? quod *tot. tit. C. de Eunuchis* nostram sane sententiam stabilit: & Senatusconsultum Romæ olim datum. Genutius enim quidā *vt est apud Valer. Max. lib.* 7. *cap.* 7. Matris Magnæ Gallus à Cn. Orestæ prætore vrbis impetraverat, vt restitui se in bona Neviani iuberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus à Surdino, cuius libertus Genutium heredem fecerat, prætoriam iurisdictionem abrogavit, & consulto Senatu pronunciavit; *Genutium videri ius actionemq; restitutionis in iure postulanda non habuisse, itaq; iure appellatum*, quod nimirum diceret Genutium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neq; virorum, neq; mulierum numero haberi debere. Conveniens Mamerco, conveniens principi Senatus decretum, quo provisum est: *Ne obscœna Genutij præsentia inquinata q, voce tribunalia magistratuum sub specie petiti iuris polluerentur*. Accedit & canon Apostolorum, referente *Petro Crespetio in Summ. fid. Cathol. lit. E. verbo Eunuchus canon.* 23: si quis cum clericus fuerit abscideritsemetipsum, omninò damnetur, quia suus est homicida. Et *Canon.* 24. Laicus semetipsum abscindēs, annis tribus communione privetur, quia suæ vitæ insidiator exstitit. Sic *Augustinus* exponens illud Iohannis: Qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: homicidium sui ipsius prohibet: vide, inquit, ne te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quia animam tuam debes odisse. Hinc namque perverſi

& ſceleratiores quique ſui ipſius homicidæ flammis ſe donant, aquis præfocant, præcipitio collidunt & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit, imò diabolo præcipitium ſuggerenti, redi, inquit, poſt me Satana. Et *concilium Bracarenſe. 1. cap. placuit* 23. *q.* 5. Neq; cum Pſalmis, ait, ad ſepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim hoc ſibi per ignorãtiam vſurpant. Similiter de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur. Sed revertamur ad quæſtionem, quæ maximè juvatur *l. 4. D. ad leg. Aquil.* duplici ex eadem ratione: quia expreſſè addit, quo jure veniat defenſio hæc, nempe gentium, vel, vt ibidem Iſtus, naturali ratione. Nec juvat lex hæc ſententiam eorum, qui ex ijſdem verbis: *naturali ratione*: conantur probare, defenſionem eſſe juris naturalis. Differunt ſiquidem jus naturale, & ratio naturalis. Illud, atteſtante imperatore, eſt hominibus cum brutis, ſuo tamen modo, vt de hoc alibi, commune. Hæc hominibus tantum. Hinc & jus gentiũ definitur naturali ratione, *in l. 1. in pr. D. adquir. rer. dom.* Quarundam, inquit Gaius, rerũ dominium nanciſcimur jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræquè ſervatur. Et *l. 2. D. eodem* adhuc de jure gentium loquens: Quod nullius eſt, inquit, id ratione naturali occupanti concedatur. Deinde non poteſt intelligi de jure naturali propter propoſitionem legis, quæ eſt: an latronem & inſidiatorem liceat occidere? Æſtimare autem quem eſſe latronem & inſidiatorem, hominis tantum eſt, non bruti animalis. Accedit, quod naturalis ratio ſola ſit ſolius iuris gentium cauſa. *paragr. ius autem civile. 2. inſt. iur. nat. gent. & civ.* & quaſi formalis & ſpecifica differentia iuris naturalis & gentium, eſt ratio naturalis. Addo quoq; *l. 1. paragr. vim vi* 27. *D. vi & vi armat.* Quæ tamen lex maximè contrariam videtur firmare ſententiam, vt in qua categoricè ſcribatur: *idq; ius naturæ comparatur.* Sed reſpondemus. 1. Verba eſſe intelligenda ſecundum ſubiectã materiam. Materia autem ibi eſt, quod agatur de vi & vi armata, quæ à ſolis hominibus vt inferri ita & natura ab ijſdem

dem

dem tantũ ſoliſq; repelli poteſt: maximè cum *d.l.1. in primis*, requirat etiam dolum, qui in brutis nullus eſt, vt ex definitione doli *in l.1. paragr.1.2.3. & tot. tit. D. de dol. mal.* evincitur; ideoq; nequit verbum *Natura* trahi ad ius naturale, ſed ad ius gentiũ tantum, præcipuè cum aliæ leges & rationes ſint in contrarium. 2. Vult lex defenſionem & propulſationem. Defenſio autem omnis eſt legitima, non eo modo, vt quis inferret, nos ſtatuere defenſionem legitimam eſſe, h.e. iuris civilis, ſed quia contrarium eius, offenſa nimirũ eſt illegitima, *d.l.* 3. ſoliſq; tantum eſt in hominibus. 3. Imò lex illa de genere tantum loquitur, propulſatione ſcilicet, nõ de eiuſdem ſpecie, defenſione illa de qua nos loquimur. Secũdum quam diſtinctionem ſtatuimus rectè, animalia bruta habere propulſationem, non habere defenſionem. Ratio diſtinctionis eſt. 1. ipſa *l.1. paragr.* 27. Deinde, quia quemadmodum animalia bruta in genere conveniunt cum hominibus, non autem in ſpecie: ſic nõ ineleganter ſtatuimus, propulſationem quoq; tanquam genus convenire animalibus brutis cum hominibus, non autem ſpeciem. Præterea, cum, vt ſupra abundè deductum, defenſio & offenſio ſint correlata, & dato vno remotovè, detur removeaturvè alterum, neceſſum ſit, vt relatum & correlatum ſint ejuſdem generis & qualitatis, mutuuſq; eorundem ſit adſpectus, vt benè notant logici, & demonſtrat *text. parag. ius autem gentium inſt. de iur. nat. gent. & civil. l. manumiſſiones 4. D. de inſt. & iur.* Offenſio autem eſt iuris gentium, *d. parag. ius autem gentium*, ibi *bella etenim orta ſunt*. Ergo & idem erit in defenſione *d. parag. & d.l.* 4 ſuffragatur & *Liuij* auctoritas non exigua, qui ita iure gentium comparatũ eſſe ait, vt arma armis propulſentur. Nec quicquam ſciunt, quæ contrarium ſentientes puta *Couarruus & alij* adducunt, cum propulſationem à defenſione diſtinguamus, illamq; animalibus brutis concedamus, hanc non item, propter rationes ſuperius allatas: Idem dicimus ad locum *Plinij* & *Ciceronis*, *Plinius*: leonum feritas, inquit, inter ſe non demicat: (nota dicit feritatem,

quæ ius, quale est defensio, non admittit) serpentum morsus non petunt serpentes: sed, si vis inferatur, nulla est, cui non sit ira: (differunt ira & defensio, cum is qui ira quid facit, vindicta potius faciat & ita in leges committat. Defendens autem ratione vtitur, non ira, licet ira sæpè accedat.) non sit animus iniuriæ patiens, & prompta, si noceas, ad se defendendum alacritas. Respondeo quoq; præter iam allata, *Plinium* loqui de leone, De defensione igitur leonina illa defensio erit intelligenda; quam nemo dixerit esse veram. Nam defensionis forma pendet ex offensa. Leo semel offẽsus, te, etiam fugientem assequetur, non obseruata defensionis legitimæ forma. Quia non se defendit, dum ratione caret. *Cicero*, qui legem hanc non scriptam sed natam dicit, quam non didicimus, accepimus, legimus, sed ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum inciderimus, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis, contrarium non iuvat. Loquitur enim ibi Cicero de iure gentium, & naturale vocat, quia & ipsum ex natura hominum est, & vna cum ipsis hominibus nascitur, seu, vt *Seneca* quodam in loco, est, Non temporum, sed hominum. 1. Quia vocat legem. Lex autem est in hominibus, non in animalibus brutis. 2. Quia de hominibus loquitur, ex quorũ natura legem hanc iustam dicit. 3. Quia loquitur de salutis expeditione honesta, quæ solis est hominibus data. Falsum quoq; esse apparet id quod *Obr. th. 79.* dicit: nempe Vlpianum Ictum defensionem etiam animalibus brutis tribuere *in l. 1. parag. 11. D. si quadrup. paup. fec. dic.* Nihil enim ibi de defensione. Nec quoq; potuit, quia ibi nulla offensa, nulla iniuria, sed tantum aggressio. Et de pauperie est quæstio. h. e. damno sine iniuria dato. Fallitur quoq; ex ijsdem iam supra adductis rationibus idem *Obr.* 80. qui & ipse defensionem iuri naturali adscribit, cui citãte *Obr.* accedit *Iac. Cuiac. 5. obseru.* 18. Adde & *Hug. Donell. 1. comment. iur. ciuil. 7.* Re-

ijcimus

ijcimus quoq; opinionem eorum, qui defensionem sui, jure naturali, defensionem autem legitimã juri civili adscribũt, *Govean.1.lect.10.Donell.1.comment.7.Cors.3.indagat.2.Faber.2 Semestr.2.Forcat.ad d.l.3.n.2.D.iust.& iur.* Quia in animalibus brutis omninò non est. Nec quoq; est civilis. Aut enim necesse est, vt omnis, etiam ea quam tribuunt brutis, sit civilis; aut nulla. Nullam siquidem agnoscimus differentiam inter defensionẽ simplicẽ, & defensionem legitimam. Quia præter legitimam lex nullam agnoscit. Ea autem tantũ est hominum, non animalium brutorum, & est ab ipso tempore talis quo primum esse incepit. Incepit autem cũ jure gentium & cum ipsa natura humana, ex jure nempe gentium Semper igitur legitima, semper iuris gentium. Iterum ex iam allatis fundamentis sentire non possumus cum *Obr, th.* 88. qui ita dicendum existimat, quod iure naturali vim simpliciter; iure autem gentium & civili non nisi moderatè & iustè repellamus vel repellere possimus. Laborat enim petitione principij. Demonstrandum siquidem esset, esse defensionem aliam simplicem, aliã civilem seu moderatã. Quod tamen leges nostræ non admittunt, vt supra annotatum.

QVAESTIO. 3.

Quæ sit causa efficient defensionis?

EST & alius locus præter jam in q. 2. positos apud eundẽ *Obrecht d.disput.th.*90. haut concinnè formatus, qui statuit, causam efficientẽ defensionis esse προαίρεσιν, qua quisq; se & sua contra vim tueri molitur. Sed non puto veram esse hanc sententiam. Nam si hoc esset, etiam in eo, in quem iustè animadvertitur, esset defensio. Quæ tamen, cum cesset offensa, locum non invenit. Deinde, illa προαίρεσις cum inveniatur etiam in animalibus brutis, vt quæ etiam quærant conservationem sui *l.1.par.27.D.vi & vi arm.* animalia autem bruta sese nõ defendant, sequetur, non esse causam effi-

cientem, Nos igitur efficientem dicimus esse jus gentiũ *d.l.* 3. & ipsam offensam sive iniuriam, quæ aliquem ad defensionem cogit *d.l.* 3. maximè cum sese invicem habeant vt correlata, ita, vt alterũ sine altero esse nõ possit. Quodcunq; ergo est in offensa, erit & in defensione. At offensa æstimatur, & iure decidente est offensa. Igitur & defensio. Patet hoc ex definitione defensionis, quę dicitur esse iniurię propulsatio. *d.l.* 3. Nec refragatur sententiæ nostræ quod quis diceret: Si iniuria est causa efficiens defensionis, sequetur, quod, vbicunq; sit iniuria, ibi etiam sit defensio. At qui defensio non semper est ibi, vbi est iniuria. Non enim omnes se adversus iniuriam defendunt. Ergo iniuria nõ erit causa. Respondeo, non tamen causa efficiens efficit in omni, sed in subiecto adæquato. Non enim quodlibet in quodlibet, sed quodlibet in suum. Et, quandocunq; defensio nõ sequitur iniuriam, hoc ipsum non est adscribendum iniuriæ, sed potius ei qui se non defendit. Dũ omne imprimens imprimat, non ratione imprimentis, sed ratione receptivitatis in recipiente, vt habet Scholasticorum illud immotum. Quod cũ sit, causa tamen illa efficiens non definit esse causa. Præterea non movet, quod ex vulgari adferri posset: privativum non potest esse efficiens positivi, cũ nihil amplius quis dare possit alteri, quam quod ipse habet. *l. vemo plus, D. R. l.* 1. *D. offic. ei cui mand. est iurisd.* At qui offensam esse privativũ quid. Ergo non poterit esse causa defensionis. Respondemus, privativũ solum, non est causa positivi. At qui hic privativũ solum non est, cum accedat autoritas & permissio legis. *d.l.* 3.

QVAEST. 4.

Quid iuris in aliarum personarum defensione?

VAtiæ Dd. hic opiniones, & distinctiones. *Francisc. Zoannet, tr. de tripart. defens. & Obr. d. disp. tb.* 188. distinguunt inter personã publicã sive magistratus, & inter personam

sonam privatam. *Leopold. Hakelm. illustr. quæst. disput. 1. th. 4. lit. a.* distinguit inter personas coniunctas & extrãeas, & inter has, an crimen immineat valdè enorme, an verò commune. Videamus de *Zoan* & *Obr.* sententia. Magistratũ, dicunt, si videat quem jurisdictioni suę subiectum, periculum pati, omninò teneri succurrere: quia ideò magistratus officio fungitur, vt saluti subditorum prospiciat *l. 3. l. 6. par. ne potentiores. D. off. præsid.* Sed fatemur esse verũ magistratũ oportere hoc facere, quid tamẽ, hocnè sequetur; Ergo reliqui hoc nõ debẽt facere? quod aliquibus est, vt faciãt, imperatũ, id nè cõtinuo est reliquis, ne faciant, prohibitũ? Quid, q̃ tũc tantũ argumẽtũ hoc valeat, quãdo nimirũ aliquid alicui ita imperatur, vt ab alio expressè removeatur, quale est in materia iurisdictionis merum imperium, in materia regalium regalia? In reliquis autem secus, Ratio differentiæ & diversitatis est ex ipsa prohibitione speciali, quod exempla iam adducta probant. *l. 1. D. off. ei, cui mand. est iurisd. c. 3. & ibi interpp. quæ sint regalia, in vsib. feud.* Deinde id factum ex vtilitate reipub. cui quidem omnes defensionem debent, maximè tamen magistratus, & qui in specie ad hoc, vt magis idonei deliguntur. Quod si magistratus hoc efficere, aut non vult aut non potest, merito datur locus alteri vnicuiq;, vt reipub. consulat. Quod consulere, cum insit etiam defensioni, vt passim notavimus, meritò vnicuiq; concedendum. Imò eo ipso, dum imperatur & imponitur magistratui, imperatur etiam & imponitur in defectu magistratus, maximè, vbi maximum & irrecuperabile periculum & damnum est in mora, subditis, cum imperare illud respiciat finem vnicum, salutem scilicet populi & reipubl. Insuper cum defensio aliarum personarum vnicuiq; *d. l. 3. D. iust. & iur.* sit concessa, imò imperata ab ipsa natura *d. l. 3*, ius autem naturale sit immutabile. *par. sed naturalia, inst. iur. nat. gent. & ciuil.* sequetur id nemini adimi possit; aut demonstrabunt contrarium sentientes, esse ademptum. Accedit *d. l. 3.* loqui generaliter & de omnibus, adducereq; confirmationem ex

ag-

agnatione naturali. Adhoc, si magistratui tantum esset permissum, magistratus autem in omni loco vbi est magistratus esse non possit, impossibile erit, eum subditos suos vim ab aliquo patientes, liberare posse. Quod sanè statuere est omninò iniustum. Addo & absurdum maximum sequi ex hac sententia. Magistratus siquidem extra provinciæ suæ terminos, magistratus non est, sed in terminis tantum suæ provinciæ. *l. 3. D. off. præsid. l. fin. D. iurisd.* Si quis igitur subditorum magistratus huius provinciæ, vim patiatur in provincia alia, alij magistratui subiecta, hic magistratus non poterit, etiam præsens, vim propellere à suo subdito; quia iam magistratus non est: & hac ratione id, quod in salutem subditorum salubriter introductum est, contra iuris & æquitatis rationem in eorundem verteretur detrimentum, quod fieri lex prohibet. *Nulla iuris, D. de legib.* Taceo multos hoc excitari posse tumultus. Cum enim magistratus in alia provincia privatus sit, & tamen vellet & deberet subditum suum iniuriam patientem defendere, alter magistratus, huius provinciæ in qua committitur iniuria, facilè assereret sibi licere alterum defendere, non alteri: & ita integræ provinciæ cõtra provincias insurgerent, & malum malo duplicaretur. Quod ferendum non est. Nec est quod dicas eum ibi, huius respectu, magistratum non esse, & ideo non posse eũ defendere. Nam, si ille magistratus non est, nec ille erit subditus. At qui hic subditus semper manet, cum nondum alio in loco domicilium contraxerit, sed tantum, negotiationis forsitan, vel alterius causa, absit. Ergo & hic semper magistratus. Si magistratus semper, tenebitur eum defendere sẽper. Si defendere, etiam in alio loco. Quod autem vterq; maneat, est manifestum, cum sint relata, & posito vno necessariò sequatur alterũ. At qui est subditus, ratione iam posita Ergo & magistratus: Lubet dicere, hac ratione prohiberi quem suppetias ferre periclitanti, eo etiam casu, quo posset eum periculo subtrahere. Dices, hoc quidem omnibus licitum, sed alterum illud, nempe, alterum alterius defensionis

causa

causa occidere, nõ licere? Sed audi, si defendere est licitum, licitum erit & illud alterum, nimirum occidere. Concesso siquidem consequente simul concessum est id, sine quo antecedente consequens fieri nequit *arg. l. 2. D. iurisd. l. 1. parag. fin. D. off. ei. cui mand.* Dices, hoc concesso sequi multas coedes sub specie defensionis Esto. Sed negato hoc, & nõ concesso, multi, qui servari possent, peribunt. Præterea iudicis erit religioni conveniens, vt, an iusta fuerit defensionis vsus, diligentissimè & inquisitissima cura prospiciat. Addo vocabulum *debet*, quo vtitur *Obr.* esse obligatorium, ita, vt vno quoq; in loco velit lex auxilium magistratus. Atqui id fieri per rerum naturam non potest, Magistratus igitur, qui non defendit, etiam cum defendere non potest, (quia vbiq; esse nequit, licet alias, si adesset, defendere posset) nihilominus tenetur per verbum *debet*. Quod tamen hic est impossibilitatis, ad quam magistratum vigor sententiæ *Obrechti & aliorum* contra iura obligaret. Iam videamus leges, quibus, *Obr.* fulcit suam opinionem, nempe *l. 3. D. off. præsid.* vbi dicitur, curare debere præsidem, vt malis hominibus provincia purgetur. Respondemus, & dicimus hoc & nos. Sed de executione perpetrati delicti, aut etiam perpetrandi impeditione lex maximè loquitur. De illo est apertè *in d. l. 3.* ibi: *si quid mali commiserint*. Et meritò hoc statutum de magistratu, cum à privato si fuerit factum læsa datur ius ipsius magistratus, qui habet imperium sibi concessum, & quidam ita, vt reliquis omnibus simul sit denegatum. *d. l. 1. D. off. ei. cui mand. e. iurisd.* & fiet vindicta, si post commissum facinus fuerit à privato factum. Sed nos loquimur de defensione, quæ ab executione longè differt, & quã nemo dixerit vindictam, si fuerit à privato etiam facta, propter *l. 3. D. iust. & iur.* Præterea, loquitur ibidem lectus de purgatione totius provinciæ, quod solum meritò datum est præsidi, vt qui in totum ius habeat. Aliud est in defensione, quæ particularis est, non vniversalis, hoc scilicet nostro in casu. Vniversalia itaq; ad præsidem, particularia ad particulares pertinere di-

cimus. Et vtrumq; rectè dicitur: Magiſtratus debet defendere eos, quorum eſt magiſtratus & iure magiſtratus: &, privatus debet defendere ſua & aliena, reipubl. tamen, vt privatus. De vi inferenda, quoq;, ſi fieri poteſt, cavere debet *l.* 13. *D. off. præſid.* Addo, ſcopum *d. l.* 3. non eſſe principalem, vt velit demonſtrare, Præſidem provinciæ debere ſuos defendere cõtra vim aliorum, ſed potius, an in exteros quoq;, & ſuæ provinciæ non ſubiectos, habeat imperium. Ratio dubitandi, eſt in ipſis verbis initialibus. Habet enim tantum in ſuæ provinciæ homines imperium. Decidit autem, habere eum, ſi quid commiſerint, & quidem generaliter, non addito in quem. Ratio decidendi ex ipſa forma & fine mãdatæ provinciæ ſumitur. Nam in mandatis principum eſt, *vt curet malis hominibus provincia purgetur.* Et hac ratione, vt ex antecedente ad neceſſariò conſequens infert propoſitionem: Ergo & in malos exteros habet imperium. Nullo igitur modo ex ea poterit colligi privato defenſionem alterius eſſe prohibitam: cum nos loquamur de defenſione vnà cum offenſa, & in caſu de quo impp. in quo melius eſt iura intacta ſervare, quã poſt vulneratã cauſam remedium quærere *l. vv. C. quand. lic. vnic. ſe ſin. iud. vindic.* Idem reſponſum volumus ad *l.* 6. *par.* 2. *D. offic. præſid.* Accedamus alteram opinionem Doctorum, qui diſtinguunt inter perſonas cognatas & extraneas. Sed, cum nemo lctorum hanc introduxerit diſtinctionem, & ſine lege loqui erubeſcamus, nec *Obrechti* & reliqui aliquam producant auctoritatem meritò eam reijcimus, maximè cum generaliter loquatur lctus in *d. l.* 3. & cognationem à natura inter omnes eſſe velit, propter quã, & rectè, alter alterum defendere tenetur, nec tanta ſit juris civilis auctoritas, vt jus illud gentium immutare poſſit vel valeat, imò contrariũ omninò *dd.* doceat. Horreo referre abſurdum, quod ex hac ſententia promanat, nempe, iuſtum eſſe hominem homini inſidiari, modo is, cui inſidiæ fiunt, non ſit cognatus, vel conſanguinitate aliqua civili iure nobis coniunctus. Quod tamen ſtatuere non abſurdum,

ſed

sed absurdissimum est. Obstat enim auctoritas legis & divinæ & humanæ. Divinæ, quia non tantum prohibet homicidium in genere in decalogo, & in genere omnis eius qui sanguinem aliorum in genere profuderit dolo malo, profundi vult legitimo à magistratu: sed etiam vult & imperat, vt hosti nostro benefaciamus, & si vicini nostri asinum aberrare à via viderimus, vt eundem in viam reducamus, & onere pressum & lapsum erigamus, liberemus. Humanæ *in d.l.3.* Ratio autem consequentiæ est: Nam, si non licet defendere omnem, necessariò sequetur aliquos offendere esse licitum. Si defendere est iniustum, offendere erit iustũ. Nã quorum corrumpentia bona sunt, ea mala sunt, & è contra *d.l.3.* Defensio quoq;, cum sit & fuerit semper iuris gẽtium. *d.l.3.* nunquam iuris civilis: ius autem gentium omnes homines obliget, *paragr. ius gentium. inst. iur. nat. gent. & civil.* sequetur omnes gentes, & ita omnes homines teneri iure ad defensionem hominis, non quatenus homo affinis vel cognatus de iure civili, sed quatenus homo. Considerat enim ius gentium hominem, quà homo *d.l.1. par. fin. D. iust. et iur. d. par. ius gentium.* Subijcio deterrimam exinde futuram peregrinorum conditionẽ, qui in locis peregrinis versantes, omnium erunt facillimè expositi iniurijs, cum vix inveniant ibi vel affinem vel cognatum aliquẽ, qui eos per se non sufficientes ad propellendam iniuriam adjutet. Quod iterũ est contra præceptum divinũ: *Peregrinos ne lædito.* Si quoq;, si *Origeni* credimus, hospitalitas peregrinis exhibita à Deo Ter. Opt. Max. recompensatur, quanto magis ab interitu liberatio, & fide facta fidelium, imo omnium hominum innocentum, salvatio. At hospitalitas magnopere remuneratur Loth. Sic enim *Origines homil. 5. super Genes. Missi Angeli ad subversionem Sodomorum, cum iniunctum cuperent maturare negotium, curam prius gerunt hospitis Loth: vt eum de imminente ignis excidio, contemplatione hospitalitatis, eximerent. Audite hæc, qui peregrinis clauditis domos, audite hæc, qui hospitem velut hostem vitatis. Loth in Sodomis habitabat. Alia eius benè*

gesta non legimus, Hospitalitas in eo sola ex vsu veniens memoratur: evadit ignes, evadit incendia ob hoc solum quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum Angeli ingressi sũt, clausas hospitibus domos ignis ingressus est. Hęc Origenes. Nõ quoq; ferendum putamus alteram Dd. & interpp. opinionem, qui defensionem extranearum personarum tum demum admittunt, si valdè enorme immineat delictum, vel paricidij, vel maiestatis; in reliquis non item: 1. Quia generaliter loquitur *d. l. 3.* & cognationem inter omnes homines naturã constituisse dicit. 2. Quia lex omnem à quocunque factam iniuriam improbat eo ipso dum est contra legem, & ita adversus omnem concedit defensionem. Iam autem satis apertum est, in quocunq; homicidio & omni vi, committi adversus leges. In omni igitur, & quidem omni, cum omnis teneatur observare leges, vt quæ sint vniversales *l. 1. D. legib.* concedit non tantum, sed imperat defensionem, 3. Si tantũ in hisce duobus casibus permissa est extraneæ personæ defensio, ob enormitatem scilicet delictorum, sequetur propter eandem enormitatem in reliquis casibus absentem, læsionem esse licitam, & nullum aliud delictum, hisce duobus exceptis, esse puniendum & contra leges. Ratio consecutionis eadem est, quam supra posuimus. Nam si non licet defendere omnem, necessariò sequetur, aliquos offendere esse licitum. Præterea cum non sciamus semper, an is qui alterũ aggreditur sit vel filius vel subditus, facilè errare possumus & ignorare, & ita aliquando innocentem perire, quem sine periculo nostro servare potuissemus. Nec iuvat sententiam contrariam. *l. 6. D. ad leg. Pomp. de paricid.* ibi enim non sciẽtia, sed dolosa punitur occultatio, & quidem non quod ibi fiat in parricidio, sed quod dolo malo. Dolus malus autẽ cũ & hic in omissione omnis personæ defensionis, adsit, meritò evndem puniendum esse statuimus. Omninò igitur & sẽper alium defendendum concludimus, citra tamen aperto & manifesto corporis & salutis suæ dispendio & detrimento vel periculo maximo. In quo arbitrium iudicis requirimus,

Ratio

Ratio, cur omnibus concedamus, etiam contra *Vsadum lib. 2. quæst. 29. in fin.* omninò negantem, est. 1. lex naturæ. 2 lex civilis. Quod enim alicui prodest, nemini nocet, id facilè est concedendum *l. 2. parag. quanquam. D. aqua plu. arc.* & interest hominis hominem beneficio alieno adfici *l. 7. D. seru. export.* 3. lex canonica. *c. non inferenda.* 4. lex divina quam supra attigimus. 5. Autoritas *Ciceronis*, qui fic: *eum, qui non obstitit, si potest, iniuria, tam esse in vitio statuit, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Seneca: qui, si iustus es, aut, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis.* Liceat & addere, si quæ auctoritas, *Apuleium lib. 7. Metamorph. An ignoras, inquit, eos etiam, qui mortuis auxilium salutare denegarint, quod contra bonos mores idipsum fecerint, solere punire?*

QVAEST. 5.

Quid iuris in defensione rerum?

VAriæ iterum hic Dd. & interpp. opiniones & distinctiones. Quidã in distinctè cõcedũr, quorũ primus auctor est, teste *Obr. tb. 138. Accursius.* Quidam indistinctè negãt vt facit cum *Panormitano Ioan. de Anania, Hippol. de Marsil. Fortun. Garzia. Obrecht, tb. 140.* Quidam distinguunt inter res pretiosas & viles, vt *Bald. & Ias.* Quidam inspiciunt an res aliter defendi possint, an non possint, vti *Petr. & Cynus* Accedit novissimè *Obr. tb. 148, cum seqq.* qui defensionem quidem concedit, ita tamen, ne in illa defensione alterum interficias. Nos nullam harum admittendam putamus. Si enim propriè loqui velimus, interp. cõmuniter omnes fateantur nobiscum necesse est, Ictum in h. l. 3. non respicere an impetatur corpus hominis, an alia aliqua res, ita vt ratione rei subiectæ defensionem vel concedat, vel deneget, sed tantum, an vis atq; iniuria, seu, vt supra vno verbo interpretati sumus, an iniuriosa vis illata fuerit. *d. l. 3.* ibi: *vt vim atq; iniuriam propulsemus.* vbicunq; igitur vis, vbicunque iniuria, ibi defensio licita, nulla distinctione obseruata, an

iniuria & vis fiat corpori,an rebus. Deinde hęc idem probat definitio defenſionis,quæ iniuriæ eſt propulſatio. *d.l.3. & ibi interpp.* Iniuria igitur conſideratur,non res. Nec quoq; metimur iniuriam à ſubiecto, vel ſcopo cui infertur & in quem fit,ſed ex iure,vt omne id,quod fiat contra ius,ſit iniuria *tot.tit.inſtit.D.& C.de iniur.* Generaliter itaq; ſtatuimus omnẽ vim & iniuriam,iuſtè repelli poſſe, ſive fiat in perſonam,ſive,vt interp.loquuntur,in rem,vel occaſione rei. Dicimus vim & iniuriam,vt ſimul oſtendamus debere omninò eſſe analogiam inter iniuriam & eiuſdem propulſationẽ in tantum,vt defenſionis forma conſiſtat in terminis offenſionis & iniuriæ,vtraq;,tam offenſio, quàm defenſio,iure. Et ſi iniuria,quæ fit in ablatione rerum,iure eſt prohibita,vt eſt, ſequetur omninò,eiuſdem iniuriæ propulſationem ſeu defenſionem iure eodem eſſe conceſſam. Nec tamen exinde ſtatuimus, omne homicidium ex eadem cauſa admiſſum,excuſationem mereri:ſed tum demum, cum alio modo iniuria illa vindicari vel averti nequit. Eſt enim & alius defenſionis legitimæ modus, is nimirum, qui conſiſtit in iudicio,& iniuriæ illatæ iudiciali defenſione & vindicatione. Quam diu autẽ huic locus eſt,tã diu ceſſat alter ille modus. Vtroq; autẽ,ne delicta maneãt impunita,& ipſe potius qui iniuriã infert,cauſa ſit necis ſuæ, nõ alter,qui legitimo defenſionis iure iniuriam hanc, illegitimè illatam, legitimè propellit: cum aliàs iure certo cautum ſit, neminem debere cum damno alterius,taceo iniuriam,locupletari,nec ex ſua malicia compendium commodumq; capere. Ex iam dictis apertè liqueſcit,Accurſij opinionem falſam eſſe, qui ratione & reſpectu rerum,nõ ratione magis iniuriæ, defenſionem hanc,vt loquuntur interpp.rerum licitam eſſe vult, dum affirmat bona & res eſſe quaſi ſecũdum hominis ſanguinem. Demonſtrandum ſiquidem illi ante fuiſſet, an defenſio exinde ſit licita,quia homini, an non potius quia cõtra ius infertur,quorum hoc nos defendimus, alterum reijcimus, freti auctoritate expreſſi textus in *d.l.* 3. Diſplicet

quoq;

quoq; *Panormitani, Ioan de Anan. Hippol. de Marsil. Fortun. Garz. vt & Obrechti* opinio, qui indistinctè negant, additâ ratione delumpta ex differentia hominum & rerum. Nam & hisce incubuisset demonstrare, an prohibitum sit interficere hominem, quà homo. Hoc si demonstrassent, staremus illorum opinioni. Absurditas quoq; hic maxima ex sententia hac sequeretur. Si enim non liceret interficere hominem ideò, quod sit res & creatura Dei nobilissima; tales autem sint omnes, etiam impij & scelesti, sequeretur indubitata veritate, nec impium, contra tamen omnia, & divina, & naturalia, & civilia præcepta esse tollendum è medio, sequeretur omne bellum quod pro depellenda iniuria à patrijs laribus, susceipitur, esse iniustum & damnatum. Quod tamē statuere est absurdissimū. Si quoq; homo ideò, quia est nobilissima Dei creatura, non est interficiendus in defensione illa, quam Dd. pro rebus competere dicunt, quid causæ, quod *Obr. & alij* negare tamen audent defensionem, & iniuriæ propulsationem à persona & cervice alterius? Num enim ille desinit esse, eo ipso dum iniustam vim patitur, nobilissima Dei creatura? aut manet? Si manet, quid causæ quod denegat defensionem à tertio proficisci posse? Nec tamen, vti iam supra diximus, omninò omne homicidium excusandum hac propulsatione dicimus, sed cum *Obrecht. sb.* 143. rectè concludimus, quum nimirum esse & iuri magis consentaneū, vt fur vel alius, qui res nostras invadit, capiatur. (Si tamen potest, adijciendum erat, aliàs enim licitus est alter defensionis modus, rationibus supra adductis.) & trahatur ad magistratum, vt res ablatæ actionibus institutis repetantur & vindicentur. Probant autem contrariū sentientes, opinionem suam, quòd leges semper faciant mē. tionem defensionis corporis & hominis, nūquam rerum, & ita meritò inclusionem vnius, esse exclusionem alterius. *Obr. sb.* 145. Respondeo Loquitur Ictus *in d. l.* 3. de defensione tanquam effecto iuris gentium, vt demonstret ius civile à iuregentium originem suam habere, & cum eo con-

vc-

venire. Hoc probat exemplo religionis & defensionis. Defensionis in genere sumtæ, non autem in specie. Æstimat enim defensionem ex vi & iniuria; *vt vim, inquit, & iniuriã* propulsemus. Omnis vis, & omnis iniuria admittit defensionem. Atqui in ablatione rerum vi iniuriosa perpetrata, quis negauit aut negare poterit, nõ esse vim? Non esse iniuriam? Annon quoq; verissimum est, ablationem illam rerum esse omni iure prohibitam? Si prohibita est, vt est *tot. tit. D. & C. de Furt, tot. tit. D. & C. vi bon. rapt. tot. tit. D. & C. vi & vi arm.* admissa erit omninò defensio. Atqui verum prius *inr. iam est.* Igitur & posterius. Rationem consecutionis supra posuimus passim. Nec mouet nos, quod in ratione *d. l.* 3. Ictus tãtum de homine loquatur. Facit enim hoc maioris elucidationis causa, non vt neget propulsationem iniuriæ, respectu rei, intentatæ, esse iure prohibitam & illicitam, cum satis vnicuiq; constet, statim cum orto genere humano fuisse bella, tum offensiua, tum defensiua, vtraq; ferè rerum causa. Cæterea, exempla tantum ponit iuris gentium, quæ exempla non faciunt, vt excludantur reliqua, imò vt simul implicitè ponantur, licet expressè non addantur. Nam, si strictè tantum ea quæ posita sunt, admiseris, sequetur, non plura esse iuris gentium quæ dici possent exempla, quam *in d. l.* 1. 2. 3. relata, quod tamen statuere omnium est absurdissimum. Non igitur locum hic habere poterit regula, qua dicitur: Vnius inclusio, est exclusio alterius. Quin imò ipsa verba apertè demonstrant exclusam ibidem non esse hanc rebus illatæ iniuriæ propulsationem legitimam. Excusat enim id, & quidem in genere, quod ob tutelam factum est. Apparet hoc, ex initialibus & generalibus verbis legis: *vt vim atq; iniuriam propulsemus?* Cum autem, vt sæpius dictum est, in ablatione rerum maxima sit vis & iniuria, meritò & defensio erit, si alio modò vindicari iniuria illa nequeat. Apparet hoc idem ex verbis: *Nam iure hoc euenit: licet propellere vim: quia ius permittit: quia vis.* Iuvãt verba *d. l.* 3. *vers. sin.* ibi: *cum cognationem quandam inter nos constituit natura, consequens est homi-*

nem.

nem homini insidiari nefas esse. Vide, propter insidias licita est defensio. Insidiæ autem licet principaliter fiant personæ, fiunt tamen etiam rebus quod probatione vix indiget, cum insidiæ sint fraudulenta machinatio, & non minus quam dolus, res respiciat. *l. 1. D. furt.* Quod igitur additum est de corpori illatæ iniuriæ propulsatione, exempli tantum causa est additum, & regulam non restringit, maximè, cum ipsi imppp. Valent. Theod. & Arcad. *in l. 1. C. quand. lic. unic. se sin. ind. vindic.* & Imppp. Arcad. Honor. & Theod. *in l. 2. C. eodē*, verbum SE, quod propriè personam respicit, vti omnes Grāmatici, & linguæ latinæ vel mediocriter gnari, fatebuntur, ad res ipsas referunt. Postquam enim in rubro dixerunt de sui ipsius defensione: *Quando liceat unicuiq; SE sine iudice vindicare*, mox in nigro rubri verba quasi explicant, & res ipsas vocabulo SE voluisse sese comprehēdere demonstrant, ibi: *ad agros nocturnus populator intraverit l. 1. C. eod.* Ex iam allato fundamento reijciendum quoq; censemus id, quod quidā, referente *Didac. Covarr. de homicid. part. 3. Item si furiosus, par. 7. unic. n. 6.* objiciunt, nempe, de iure naturali non esse hoc in casu permissum homicidium: cum satis constet, iure naturali, eo ipso dum prohibita est iniuria permissam esse defensionem, iur. supra abundè adductis. Non ferendus igitur quoq; *Didac. Covarr.* qui iam d. loc. respondet, concedere se quidem iure naturali non esse permissum, fieri tamen potuisse, vt iudicio humano ordinaria pœna non puniatur. Objiciunt & alij apud eundem *Covar. Cap. 2. de homicid.* vt in quo statuatur iniustè interfici furem aut latronem qui sine occisione potuerit comprehendi. Respondet *Covarr.* text. d. c. alternatiuè loqui nimirum, aut factum esse homicidium ad defensionem sui & rerum suarum, aut factum esse odij meditatione. Illo casu iustam, hoc iniustam defensionem. Benè. Addimus nos cap. hoc maximè confirmare nostram sententiam, nimirum, tum demum defensionem hanc a pœna homicidij quem excusare, cum alio modo, defensione nimirum iudiciaria, iniuria illata propelli nequierit. Ex-

 presse

prestè siquidem cap. *interfeci si*, inquit, *furem aut latronem, vbi comprehendi poterat.* Ergo, vbi comprehendi nequit, iure interfectus censetur, ne iniuria scilicet maneat impunita. Obijciunt & *c. 3. de homicid.* vbi: *Augustinus super Exod. Si perfodiens*, inquit, *inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum. Si autem oriatur sol super eum, vere occidit.* Hic respondent quidam, vt notat *Couarr. de loco ex* ipso c. quod scilicet diurnus fur ideo occidi nequeat vel debeat, quia, cum die adsit, certum esse furandi eum tantum, non autem occidendi gratia adesse. Quod, cum secus sit in fure nocturno, meritò contrarium ibidem obseruari. Benè. Subiungimus, & diurnum & nocturnum furem licitum esse occidere, & non licitum esse occidere. vtrumq; tamen diuerso respectu. Non licitum, si nimirum alio modo iniuriam illatam propulsare poteris. Secus si non poteris. Vtrumque probatur d. c. & iure ciuili. Huius auctoritas, ad quam & text d. c. respicit habetur *in l. 1. §. 4. parag. 1. D. ad. leg. Aquil.* vbi Ictus permittit indistinctè furem nocturnum occidere, si scilicet parcere ei sine periculo tuo non potueris *l. furem 19. D. furt.* vel si se telo defenderit *d. l. 4. par. 1.* Ergo, à contrario sensu, si parcere ei sine periculo tuo poteris, secus erit. Idem est in fure diurno, vt nimirum eum ad magistratum, si poteris, adducas, & nullo modo occidas; si autem nó poteris, puta quod telo se defendat, aut fugiendo forsitan iudicium, & iniuriæ vindicationem, cum tuo rerumq; tuarũ periculo detrimẽtoq; evitet & effugiat, licitè occidas. Quid enim prohibet, quo minus & verba: *si telo se defendat*, aptemus etiam ad fugam, aut alium modum, quo iniuriæ evitaret vindicationem, aut evitare posset? Non enim licitum est mihi occidere quod telo sese defendat. (licet defensionis vocabulum hic omninò impropriè ponatur. Cum nulla hic sit defensio, quia nulla offensa. Non enim offendit, qui ius suum legitimo modo vindicat) defensio enim, & actus ipse defendẽdi est legitimus & bonus; sed quia qualitas & causa defensionis, quæ hic non incongruè subit vicem formæ, vitiosa

tiosa est & illegitima. Quæ autem illa? quod comprehensus, nos ad iudicem sequi non tantum recusat, sed insuper ex causa illa, ne scilicet ad iudicem veniat, sed re nostra nos fraudet, sed iniuriam, sine vindicatione, in commodum suũ vertere queat, telo nos lędere non veretur. Qualitas ergo illa sive causa principalis, quæ facit, quo minus telo sese defendat legitimè, propriè consideranda venit, non modus sive instrumentum quo vtitur, vel per quod agit. Parũ quoq; vrget id quod ex *Augustino lib.* 1. *de liber. arbit. cap.* 5. refert *Obrecht. disput. de Defensione necessaria, mense Martio Anno* 1604. *Argentorati habita th.* 98. *& Covarr. de loco*: nempe autoritatẽ Augustini esse in contrariũ, cũ inquiat: *Quomodo enim apud diuinã prouidẽtiã à peccato liberi erũt, qui pro his, quas cõtẽni oportet, humana cæde polluti sũt?* Respõdemus siquidẽ cũ *Tho. & Covar.* autoritatẽ Augustini accipiendam eo in casu, quo quis intendit hominẽ occidere pro his rebus tẽporalibus, non autem, cum quis hoc ipsum agit, vt se vel sua defendat. Actus enim occisionis, ad conservationem rerũ tẽporalium procedens, non videtur illicitus, quia vnicuiq; liceat res proprias defendere. Hactenus Covarr. Præterea, si hæc Augustini sentẽtia generaliter intelligenda erit, sequetur simul Augustinum voluisse omninò omne bellũ, etiam defensivum, sublatum, cuius tamen sententiæ Augustinum non fuisse puto. Quinimò, non res, sed iniuria repellitur, & jus suum conservatur. Quod omni jure, etiam divino, licitũ esse, quis est, qui ignorat? Vrgent præterea & contrariæ opinionis assertores *l. sæuimus*, 21. *C. SS. Eccles.* in qua Iustin. jmp. *non absurdum*, inquit, *est, animas hominum quibuscunq; vasis vel vestimentis præferri.* jtem *c. pasce* 21. *distinct.* 86. quod, *pasce*, habet, *fame morientem. Qui quia enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti.* Item *Fortunius in h. l.* 3. tali vtitur argumento: quia nimirum sacra scriptura vult, vt vnusquisq; diligat proximum suum sicut seipsum. Nemo autem, qui propriam vitam non præferat omni rei vel præstantissimæ. Iustum igitur esse jure divino, vt pro rerum de-

fensione nullus alium interficiat. Ad primum & vltimũ argumentum *Covarr. d. loc.* respondet, teneri quidem omnem diligere vicinum potius quàm res & bona, in communi tamen: non autem in particulari casu, quo cuiq; incumbit cura proprij patrimonij, non vitæ alterius. Ad secundum respondet, ibi esse singularem casum, à regula exceptũ. Nos, examinatione accuratiori harum responsionum in aliũ locũ rejecta, dicimus, res in considerationem nullo modo venire hoc casu nostro, sed iniuriam. Præterea *text. d. l.* 21. ad hanc quæstionem applicari nequit. Loquitur enim de liberatione hominum captivorũ, & animas ponit pro ipsis hominibus, per Synechdochen partis pro toto, hasq; dicit omninò præferendas omnibus rebus vestimentisq; sacris, in tantum, vt ex causa illa, vt & famis, eas vendere licitum sit, & ita loquitur de causa pia, tam ratione captivorum, quàm ratione Ecclesiarum & res tales possidentium. Nos autem quærimus hic de causa, ex altera parte bona, ex altera autem iniqua & mala. Bona, ex parte defendentis, mala, ex parte offendẽtis. Ibi adjuvatur respubl. redemtione illa captivorum; hic lædit ur. Nam invitat ad damnum inferendum, qui inferentẽ non repellit: imò reipubl. maximè nocet, cui interest præcipuè ne delicta maneant impunita. Ad id, quod de dilectione proximi objicit *Fortun. Garzia ad d. l.* 3. *D. iust. & iur.* respondemus, distinguendo inter dilectionem seu charitatẽ ordinatam, & inordinatam. Et hanc cum *Origine homil.* 3. *in cant. cantic.* statuimus, cum quis aut id diligit, quod non debet, aut, quod debet, diligit, sed plus justo diligit, aut minus justo. Hæc Origen. Diligendus est autem proximus charitate ordinaria, nec plus justo. Inordinata hac charitate, quę ex sententia generali naturali necessitate quadam exsultat, tollitur non modo charitas proximi, sed charitas ipsius Dei. Sic enim *Augustinus* describit ordinatam charitatem *lib.* 3. *de doctr. Christian: Charitatem*, inquit, *vero motum animi ad fruendum Deo propter semetipsum, & se atq; proximo propter Deum.* Sed ad *Baldi* atq; *Iasonis* tempus est vt descendamus opini-

piniones. Dictum est supra, eos distinguere inter res pretiosas & viles. Sed corruit illorum distinctio hæc, cum, vt sæpissimè inculcatum, non res, sed iniuriam spectemus & vim offendentis, semper tamen ita, vt defensio correspondeat offensæ. Accedimus sententiam *Petri* & *Cyni*, qui, si rectè intelligantur, ferri possunt, vt nimirū principaliter potius ex modo offensionis, quam rerum ipsarum consideratione, cōcedamus defensionem, ita, vt si iniuria alio, nisi huius defēsionis, quam ad differentiam iudicialis nobis liceat nominare violentam, prohiberi nequeat modo, concedatur illa moderata. Quod ex perpensione circumstantiarum iudicis relinquēdum esse putamus religioni & arbitrio. Restat *Obrecht*, qui defensionem quidem, loco supra adducto, concedit, ita tamen, ne exinde alterum interficias. Huic benè & rectè cum *Covar.* sæpe citato loco, respōdeo: Non satis percipere valeo, quo pacto mihi licitum sit res meas defendere ne à raptore capiantur, & sit illicitum, pro rerum defensione raptorem occidere. Nam si ipse defendam res meas & raptor hanc defensionem impediat per vim, non potest id aliter contingere, quàm me ipsum offendēdo, quo casu iam defensio rerum, ad defensionem persouæ pertinet.

QVAESTIO. 6.

Quid iurù in defensione existimationis?

Bart. Bald. Iason. Hippol. & alij existimant, iniuriam verbalem verberibus & vi repelli posse. Nam, aiunt, quisq; existimationem suam salvam & integram conservare, & non minori cura ac vitam tueri debet, imò, quia crudelis est famam suam qui negligit. *Obrecht. d. disput. th. 152. cum seqq.* aliter; Nobis, inquit, opinio Bartoli, Baldi, Iasonis, Hippol. & aliorum, dura videtur, quia in existimationis & vitæ defensione diversa apparet ratio. Nā, *th. 153.* iniuria nostræ

existimationi illata recriminando repelli *l. 25. par. 1. D. procurat.* & actione iniuriarum vindicari potest. *tot. tit. D. de iniur.* & vita, semel amissa, recuperari nullo potest modo. Huic sententiæ accedit *Iohan vandus lib. 2. quæst. 29.* qui & ipse recriminationem admittit, vt licitam: Nobis nulla harum opinionum satisfacit. Bartoli quidē, & Baldi & aliorum ideò, 1. quis neq; textu aperto alicuius legis, neq; argumēto probari potest. 2. quia correlata quasi qnædam sunt offensio & defensio, ita vt hæc propendeat ex illa, non semper, sed quando aliter alicui subveniri, & iniuria vindicari nequit, & maximum insuper est in mora periculum. Tunc enim melius est, intacta iura conservare, quam post vulneratā causam remedium quærere, *l. 1. C. quand. lic. unic. se fin. ind. vind.* Hic autem, vt rectè notat *Obrecht d. th. 153.* possumus sine nostro periculo ius nostrum legitimo modo persequi. 3. quia, vt supra monuimus, requirimus ad defensionem vim iniustam. Non enim sufficit iniuria, nisi adsit vis. Nam iniuria vindicari potest actione iniuriarū legitima. Vis iniuriosa nō semper. Periculum enim quandoq; maximum est in mora. Vnde & lex dicit: *Vim vi repellere licet l. 1. par. 23. D. vi & vi armat. & l. 3. D. iust. & iur. vt vim atq; iniuriam propulsemus.* Præterea, cum nemo inveniatur, qui pessimus licet, velit vel patiatur quicquam sibi de existimatione sua, imaginaria sit tantum, detrahi, vt plerunq; illi qui nihil existimationis habent, quò quid habere videantur, multis eam defendunt verbis, imò & verberibus, ne tales, quales sunt, videantur; sequetur, vt exinde vel honestissimus à nequiter malo iniquissimè tractari possit: Non autem aperienda nequitiæ fenestra, sed potius occludenda. Videamus autem quoq; eorundem rationem. Quisq; inquiunt, existimationem suam salvam & integram conservare debet. Fatemur, aliàs. Sed hic rationem hanc malè applicatam dicimus. Debet enim probatio ea, quæ ad speciei alicuius decisionem aptari & referri debet, esse itidem specialis, non generalis. Quod satis suadet & ratio ipsa & ius, ita, vt nulla hic opus sit proba-

tione,

tione. Nos autem loquimur de ſpecie, an ſcilicet verberibus liceat, Ratio loquitur de genere, & defendere licere decidit. Sunt igitur ſcopæ diſſolutæ, & pari facilitate qua adſtruitur, ea reijcitur. Nec valet conſecutio; Quiſq; debet exiſtimationem ſuam ſalvam & integram conſervare, & non minori cura quam vitam defendere. Ergo pro defenſione exiſtimationis licet verberibus mulctare lædentem. De alio enim antecedens, de alio itidem loquitur concluſio ſive cõſequent. Illud enim permittit, ſed illud permittere non fit ſimpliciter, ſed ita ſi alio modo fieri non poſſit, Hoc autem de certo modo & finito, nempe licitum eſſe verberibus. Meritò igitur cum *Obrecht* nobis diſplicet iam ſupra citatorum Dd. opinio, non tantum quia dura, ſed quia iniqua, & nullius iuris aperto, imò ne probabili quidem textu probari poteſt, & idcirco in totum prohibita. Nam, vt rectè *Obrecht. th* 155. vbi alia defenſio præſto eſt, ibi violenta defenſio non meretur excuſationem *l. ſcientiam. 45. par. qui cum alter. D. ad leg. Aquil.* Addimus nos, tum demum defenſionem in continenti faciendam, cum poſt vulneratam cauſam & penè interfectam, fruſtra invocaretur iuris & legum auxiliũ. *l. 1. c. quand. luc. vnic. ſe fin. ind. vind.* Hic autem tale quid non invenitur. Semper enim legum auxilium præſto eſt, nec exiſtimatio ſtatim interfici poteſt. Nec tamen probamus ea, quæ pro differentiæ ratione adducit *Obrecht. d. th.* 152. *cum ſeq.* Manifeſtiſſimum ſiquidem eſt, differentiæ rationem principaliter non pendere à rebus ipſis, vel quarum reſpectu nobis fit iniurioſa vis, ſed, quod iam multis ſupra inculcavimus ex ipſo offendendi modo, vt quæ inter ſe ſint cauſa actu & effectus actu. Quemadmodum igitur cauſa modificat effectum, vt cuius eſt, vt benè & rectè logici, & diſponere ad formam, & dare formam: ſic & hic offenſa modificat defenſionem. Quod expreſſè probat *d. l. 45 par. qui cum alter. D. ad leg. Aquil. & d. l. 1. C. quand. luc. vnic. ſe fin. indic. vindic. l. 3. D. inſt. & iur. l. 1. par. 27. D. vi & vi armat.* Nec illa probamus, quæ deinde th. 153. addit, iniuriam nos poſſe repel-

pellere existimationi nostrę allatam recriminando. Primò, quia recriminatio est modus inferendæ iniuriæ, non depellendæ. Est enim iniuriosum quid, quod satis ipsa nativa vocabuli significatio ostendit. Quomodo igitur poterit esse defensio? Est siquidē omnis defensio legitima & legib. concessa. Nulla autem recriminatio est legitima, seu legibus cōcessa, adeò, vt nullo iuris textu probari possit cōtrarium. Si quoq; in defensionis materia innocentem constituat tantū animus defendendi, qui fieri poterit, vt hic offendendi animus excuset; & defentionis legitimè approbatę nomē mereatur? Taceo absurdum, & maximè inconveniens quod exinde esset eventurū, nempe, nomine defensionis latitare posse offensam, justiciæ iniuriam. Quo autem sententiam suam confirmet *Obr*, vtitur auctoritate Icti Vlpiani *ex lib. 9. ad Edict. in l.* quæ omnia 25. *D. procurat.* vbi excusatur procurator, qui adversarium suum vel coram prætore mentiri dixerit. Sed cum distinctione, si scilicet, vt purget convicium, dixerit. Sed si penitius textum d. l. 25. inspexerimus, inveniemus, illum nullo omninò modo ad hanc nostram, de qua disputamus, applicari posse quæstionem. Nos enim quærimus de defensione, & dum de defensione quærimus, præsupponimus offensionem, vt quarum altera sine altera esse & subsistere nequeat. Quid autem d. l. 25? num etiā sic disputat? Minimè. Vbi enim ibi est quæ necessariò omnē præcedit defensionem, offensa? Non video. Nisi velis affirmare, offensam esse in eo quod adversarius petat mutationē procuratoris. Atqui hęc mutatio tam actori quam reo concessa *l.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *D. procurat.* Quomodo ergo poterit esse offensa? cū manifestissimi juris sit, id quod legibus omnibus concessum est, pœnam nullā mereri? nec iniustè vel iniuriosè agere eum, jure suo qui vtitur? Ast largiamur esse ex altera parte offensam; num tamen ex altera parte rectè dicemus esse recriminationē? Nullo modo. Nū enim poterit esse recriminatio, vbi adest animus pudorem suum purgandi? annon ex animo æstimamus delicta? Quid,

quod

quod ipſe textus excuſet eum, qui mentiri adverſariũ ſuum dixerit, ex eo, quod fecerit hoc animo magis pudorem ſuũ purgandi, quam procurationem ſibi aſſerendi? Quæ excuſatio certè vel inaniter, vel ſuperfluè à Iſto adderetur, ſi recriminatione vti liceret. Præterea, ſi ſcopum Iſti in d.l.25. conſideraverimus, inveniemus, Iſtum ibidem agere principaliter, non de defenſione, ſive, vt ita dicam, reali, ſive verbaliſed quærere, an licitum ſit adverſario, tam actori quàm reo mutationem petere vel procuratores mutare. Et affirmativè reſpondet *d.l.*17.18.19.20.21.22.23.24.25.26. Iam autem procurator ille, qui vt removeatur petitur, vt procurationem ſibi adſerat, cauſam illam ab adverſario adductã, refellit, exempli cauſa, dicendo adverſario *mentiris*. Quæritur ergo an hic nihilominus ſit admittendus, nec mutãdus. Ratio dubitandi eſt in d.l.25. Talis enim, eo ipſo, dum negatione hac videatur ſeſe ingerere, ſuſpectus eſt. *Nam, hoc ipſo*, inquit textus, *ſuſpectus eſt, qui operam ſuam ingerit invito.* Rationem dicendi mox ſubiungit. *Niſi*, inquit, *forte purgare magis conviticum, quam procurationem exſequi malit.* Et aliamt Et *hactenus*, inquit, *erit audiendus, ſi dicat, ſe procurationi quidẽ carere velle, ſed ſi id in laſa exiſtimatione ſua fiat. Cæterum ferendus erit, puderem ſuum purgans.* Quod igitur de mendacio additur, tantũ exempli, & dilucidationis alicuius cauſa ſubijcitur, quod alteri cauſæ, præter ei cuius eſt exemplũ, applicati nequit. Dices, vocabulũ *Cõvitij* apertè cõvincere ex parte alterius fuiſſe offenſam. Sed regerimus, convicium hoc non poſſe eſſe ex parte eius qui petit mutari, ex rationibus ſupra allatis, imò potius ex parte eius, qui adverſarium ſeu dominum mentiri dixerit, & ita omninò iniuriam verbalem prohibitam. Rationem huius ſententiæ deſumimus ex *l. in ambigua. 19. D. legib.* Si enim concederemus eſſe convirium ex parte eius qui procuratorẽ mutari petit, ſequeretur, id quod legibus conceſſum eſt, mereri pœnam ſequeretur, iniuſtè agere eum & pœnam legis incurrere, iure ſuo qui vteretur, & ſecundum legis præſcriptum viveret. Quod affirmare in-

iustissimũ. Deinde, quia ipse textus facilè hanc admittit interpretationem, vt vnicuiq; textũ inspicienti, occurtit: maximè ibi: *nec ferendus est procurator, qui procurationem sibi adserit*, adserit convicio, dum dominum vel adversarium *mẽtiri* dicit. Ex his igitur manifestum, recriminationem concessam ex h l. probari nullo modo posse, sed contrariæ standũ esse potius sententiæ, nempe, agendo tantum, non recriminando iniuriam verbis factam repellendam. Videamus & jam *Vaudum*, qui eodẽ vtitur ad suæ sententiæ affirmativæ probationẽ juris textu. ad quẽ iã respõdimus. Deinde vrget *text. l. in summa. 2. paragr. idẽ Labeo. 9. in fin. D. aq. & aq. plu. arc.* quia is, qui hõc agit, alteri quo nõ noceat, sed sibi vt prosit, legis pœnã nullã incurrit. Respondemus, demõstrãdũ prius esset, an hoc agere legibus sit concessum an minus. Si est concessum, sentimus cum Vaudo. Si non est vt hoc casu nostro, (quis enim non videret recriminando lædi quem, & ita cessare legis rationem & consequenter dispositionem?) meritò eundem reijcimus. Dicimus non esse concessum, quia nullo iuris textu probari potest, esse concessum. Deindè, omninò est diversa quæstionis huius, & d. par. 9. ratio. Ibi enim alio modo consulere rebus & fundis suis nequit. At hic habet iniuriarũ actionem, & modum legitimum qui quamdiu locum invenit, alterum modum planè excludit. Parum quoq; vrgent reliqua, vbi dicit: *Si armis licitum est propulsare iniuriam, atq; vim, cur non licitum quoq; erit verbis?* Facilis enim est responsio, illud legibus omnibus esse concessum, hoc non item. Deinde, quia tum demum omnis defensio locum habet, cum accedit: *qui cum aliter*. At hic *aliter* locum non invenit. Habet enim iniuriarum actionem. Ad *l. devotum. 5. C. metat. & epidem.* idem, quod ad superiora, respondemus, vt taceamus ibidem esse causam privilegiatam & maximè favorabilem, ideoq; in consequentiam, vt quæ aliás contra communem legum permissionem facta sit, non trahendam *l. quod verò. 14. cum duab. ll. seqq. D. legib.* In *l. viro. 39. D. solut. matrim.* & *l. si. ambo. 10. D. compensat.* vbi delictum

delicto

delicto penſatur, ſpecialia quædam ſunt ad hanc quæſtionẽ noſtram minimè quadrantia. In *l.* 39. ſiquidem agitur de cauſa matrimoniali & fauorabili propter quam dilicti cum delicto compẽſatio admittitur. In l. 10. agitur de ſocijs, quorum neuter debita diligenter exſequitur ſocietatis initæ officia, qua ex cauſa iuſtum eſt vtrumq; pari portione vt cõmodum, & ita ferre debere incommodum. At nos agimus de defenſione, quæ ex vnica tantum parte iniuſta eſt, ex altera parte, ſloquimur cum vulgo Dd. iuſta, iniuſti autem cum iuſto, aut econtra, nulla eſt compenſatio. *d. l.* 39. Quæ ſubiungit ex *l. non ſolum.* 11. *par.* 1. *D. iniur* vbi iniuriarũ actio ex bono & æquo eſſe dicitur, ad noſtram infringendã ſententiam nihil facit, cum tantum velit actionem iniuriarũ quandoq; remitti poſſe: nos autem quæramus an iniuriam verbalem verbis propulſare liceat. quod negamus, cum alius vindicandi adſit modus, & defendendi; cum contrariũ nullum admittat in probationem textum, cum ſequantur maximè abſurda, de quibus omnibus abundè ſatis ſupra.

QVAEST. 7.

An quis, ſi poſſit, fugere teneatur?

Affirmãt Bart. & alij atteſtãte Obrecht. th 194. Sed melior eſt cum *Obrecht* ſententia negativa, vt ſcilicet nemo teneatur fugere in ipſo concertationis feruore, vel eiuſdem initio. Tunc enim læderet ius, quod non ſolum permittit, ſed imperat ſalutis corporiſq; proprij defenſionem, tam vt ſupra ſatis evicimus, ex propria perſona, quàm republ. & periculo, quod, ex iam dicta cauſa, vnuſquiſq; effugere debet, cum non ſit dominus membrorum ſuorum. Veriſſimum autem, fugientem ad internecionem ſuam adverſarium irritare, iuxta hoc vulgare ab *Obrecht. ab.* 201. allatum *qui priori iniuria non reſiſtit, vanam accerſit.* Et, *referente Stobæo ſerm.* 171. *ex Thucid. lib.* 4. *in concione Hermocratis* ſolet huma-

num genus perpetuo cedentibus imperare, cavere autem à resistentibus & præstantioribus.

Et quisquis trepidus pavet vel optat,
Quod non sit stabilis, suiq; iuris,
Abiecit clypeum, locoq; motus
Nectit qua valeat trahi catenam:

Boët. de consol. philosoph. lib. 1. metr. 4. Et *Petron. in Satyrio.*

Et qui non iugulat victor, obire solet,

Vt quædam legunt & habent exemplaria. Ex hoc fundamento quoq; reijcimus opinionem Dd. distinguentium inter personas nobiles & ignobiles, vt facit *Ferdinād. Vasquius 1. Controv. 11. n. 14. Gerard de Petro Sancta singul. 82. quæ sunt contra honestatem, n. 5. Bald. in l. si filius. D. condit. instit. idē Bald. in c. 1. col. 5. de pac. tenend.* cum vnicuiq; ius gentium defensionem sui permittat, nec ex personarum qualitate, sed ex ipso iniuriandi facto iudicet.

QVAESTIO. 8.

Quid de tempore statuendum? seu, an etiam ad legitimam requiratur defensionem, vt fiat in continenti?

Obrecht *th.* 204 de tempore, inquit, nos ita sentimus, illud non requiri ad moderamen inculpatæ tutelæ, sed pertinere ad ipsam propulsationem & defensionem. Ratio est, in *th.* 205. Nam nisi hæc in continenti fiat, h. e. ilicò, & in ipsa concertatione ac congressu *l. 3. par. eum igitur. D. vi & vi armat.* non est defensio vel propulsatio, sed vindicta potius: quia vis, quæ ex intervallo infertur, cogitatè & ex proposito infertur, & non ad defensionem, sed ad vltionem spectat. Hic hæreo, & vix assequor quid velit. Movet rationem dubitandi, quia antea in præcedentibus, puta *th.* 160 *cum. seqq.* dixit ad iustam defensionem necessarium esse moderamen inculpatæ tutelæ. Si est necessariū, vt est, & incul-

culpata tutela nihil aliud sit, quã ipsa essentia & forma defensionis, vt quæ sint termini & fines iustæ & legitimæ defensionis, omninò necessarium est vt tempus illud ad vtrũque requiratur, aut falsum sit id quod iam in *th.* 204. affirmat, aut illud quod in præcedentibus: & ita sibi contrarius non audiendus, Esse autem omninò moderamen illud necessariũ, ipse apertè fatetur *th.* 167, *in summa*, inquit, *tolle modũ, tolles quoq; iustam defensionem, quia sine illo hæc non subsistit. Et th.* 164 *Moderata defensio* (illa scilicet quæ est in moderamine inculpatæ tutelæ, de illa enim loquitur in antecedente & consequente) *nihil aliud est quã iusta defensio.* Et th. 168. *Et propterea, cum iusta defensio iuris gentium sit, consequens est, moderationẽ quoq; eiusdem esse iuris, quia hæc non est noua defensionis species, sed tantum iusta defensionis declaratio. Et th.* 168. *Ex his autem apparet formam iustæ defensionis in moderatione inculpatæ tutelæ consistere, quia hæc iustæ defensioni nomẽ & formam tribuit.* Si igitur est forma defensionis, qui negari poterit, ad formam præcipuè & maximè spectare tempus, & ita, vt non pertineat rem in qua forma illa est? Num differentiam aliquam constituendam censebimus, vbi nulla esse vel locum habere potest, prohibente hoc & lege, & iam adductis ex Obrechto rationibus? Lege quidam; quia lex non distinguit inter moderamen inculpatæ tutelæ, & ipsam defẽsionem, quod ex vtriusq; definitione satis apparet, vt quæ vno eodemq; modo describuntur. Dicitur enim & moderamen inculpatæ tutelæ illatæ vis propulsatio *l.* 1 *C. vnd. vi.* Sic ibi *inculpatæ tutelæ moderamine illatam vim propulsare licet.* Inculpatæ tutelæ moderamine, h.e. defensione. Est enim hoc nihil aliud quàm declaratio vocabuli defensionis à Ictis simpliciter accepti & ostẽsio, falsã esse opinionem eorũ qui defensionẽ adscribere non verentur animalibus brutis & ratione & iure carẽtibus. Et defensio nihil aliud est, quã vis atq; iniuriæ propulsatio *l.* 3. *D. iust. & iur.* Quæcunque igitur definitione conveniunt, re ipsa conveniunt, vt habet Logicorum illud verissimum. Nec minus falsa est

 ratio,

ratio, qua Obrecht vtitur; cum enim manifestum sit, moderamen inculpatæ tutelæ esse formam defensionis & cũ defensione idem, sequetur, cum tempus cõveniat defensioni conveniat etiã moderamini inculpatæ tutelæ; sequetur etiam, moderamen inculpatæ tutelæ & post iniuriam allatã, eaq; cessante, locum habere, & nomen iustæ defensionis meteri. quod affirmare inconveniens, maximè, cum in illa ipsa *l.* 1. *C. vnd. vi.* vbi fit mentio inculpatæ tutelæ, expressè etiam fiat mentio vis illatæ & adhuc durantis. Durantis adhuc inquã. Licet enim quis vi deiectus sit possessione sua, interim tamen possidere rectè dicitur, & iure ipso est dominus reiectiam ab alio possessæ. Quod si is rectè dicitur possidere & iure, vt dicitur *d. l.* 1. (in qua jmpp. loquuntur de eo, qui iam deiectus erat ita, vt adhuc rectè possideat: *Recte*, inquiunt, *possidenti*, in præsenti tempore) ille iniustè possidere dicetur, qui alterum vi possessione sua deiecit, & tam diu vis & iniuria est, quam diu ita possidet. Quod cum sit, rectè eo casu statutum est, si aliter rebus suis consulere nequit, vt convocatis amicis & alijs adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, se & suum jus defendere, & alterum possessione iniusta deijcere possit, etiam post biduum vel triduũ, prorationem rerum & circumstantiarum, quod religioni judicantium committimus; quod tamen biduum vel triduũ non facit, quo minus habeat locum defensio, & rectè dicatur in continenti facta. Si quoq; moderamen inculpatæ tutelæ fieri poterit post iniuriæ cessationem, puta biduũ vel triduũ, necessum erit, aliquando moderamen esse posse vbi nulla est iniuria, quod tamen quoq; iuri & rationi est cõtrarium. Sequeretur etiam, moderamen non esse formam iustæ defensionis: sequeretur relativorũ omnium destructio, & totalis rerum confusio. Videamus autem & textum, quo obliquè vtitur Obrecht ad confirmationẽ suæ sententiæ. Est autem *l.* 3. *par.* 9. *D. vi & vi armat.* in qua expressè deciditur, in continenti, non ex intervallo licitum esse deijcere eum armata manu, qui nos deiecit. Respondemus. Fatemur hoc

nos

nos quoq;, ita ſcilicet, ſi poſſit, vt ſtatim, vel, ſi ſtatim non poſſit, inſpiciendum eſt, an is qui deiecit, ſubiturus ſit iudicium, & iudici etiam obtemperaturus; item, an exinde magnum incommodū deiecto redundet, an potens ſit aduerſarius, maximè cum beati prædicentur poſſidentes. Hæc ſi adſunt, conuocatis amicis ius ſuum vindicare poteſt. Si nō adſint, meritò dicimus, in continenti niſi fuerit facta, ex poſt facto iniuſtam haberi, & eſſe vindictam, non defenſionem, prohibitam & non conceſſam. Vnde & ſub tit. *de interdictis* ponitur lex hæc, ſcilicet, vt ſi interdicto quis experiri poſſit, ex intervallo ſe non vindicet. Ceſſante autem interdicto, vt iam cauſas ex quibus fieri poſſit demonſtrauimus, erit, & ex intervallo, licita defenſio, maximè cum ſēper maneat iniuria *d.l.1.C. vnd.vi.* & quidem ipſo iure ſic dicente & ſtatuente *d.l.*, ita vt corruat differentia inter defenſionem & moderamen inculpatæ tutelæ. Iniuria igitur ſemper manens & continua cum ſit cauſa, vt ex intervallo locus ſit defenſioni, quæ tamen vi ſua propter continuam iniuriam, ſit in continenti, ſequetur, fictam & falſam eſſe interpp. noſtrorum opinionem, qui ſtatuunt, in defenſione rerum licitā eſſe defenſionē ex intervallo; in perſonarum verò in cōtinenti, cū non res vel perſona, ſed offēſa ſit cauſa defenſionis, vt rectè cum *Obrechti th.* 203. eam diſtinctionē, quæ nullo iuris textu ſubnixa eſt, reijciamus: interim tamen ſibimet ipſi idem *Obrechti* non conuenit, vt qui expreſſè hic negat ea quæ ſupra affirmauit. Differentiam ſiquidem attulit in *th.* 203. *& ſeq.* inter moderationem inculpatam, & inter defenſionem, hanc in continenti debere fieri dixit: Ergo, concludo, illa debebit vel poteſt fieri ex intervallo. Hoc vt ſequatur, oſtendit ratio differentiæ ipſa videlicet in defenſione continentis, ita, vt ſi hoc valeat in hac, nō valeat in altera, vt in quo illarum vtriuſq; ſpecifica ſit differentia. Hic autem e contra videtur referre moderationem inculpatæ tutelæ ad res & perſonas. *Vtraq; enim*, inquit, *tam rerum quam perſonarum debet fieri in continenti*. Si vtraq; debet fieri

in continenti, quomodo subsistere poterit id quod dixit, nempe defensionem in hoc differre à moderamine inculpatæ tutelæ, quod defensio omninò fieri debeat in continenti? Apertum igitur est, inter moderationem inculpatam & interdefensionem, legibus nullam cõstitutam esse differentiam, & continuum tempus in omni necessarium esse defensione, tam reali quam personali, vt cum vulgo loquamur.

QVAEST. 9.

Defensio, vt excusationem mereatur, & iustè facta esse censeatur, quid inspiciendum?

ACtum quidam volunt propulsandi esse inspiciendũ, ita vt ex ipsa actione propellendi vel propulsationis progrediamur ad animum, & æstimemus exinde animusnè ibi fuerit defendendi an vindicandi. Quidam non actum, sed animum. Prius defendit *Obrechs*: posterius negat *sb.* 20 1. cum plus facti habeat, quam iuris, fileant q; leges inter arma, itẽ, animo inspecto facilè vindictam esse loco defensionis, & contra defensionem pro vindicta. *sb.* 213. 214. 215. 216. Neutra nobis arridet sententia, vt quarum vtraq; haut satis ratione & legum auctoritate munita est. Prior quidem, quia, cum vulnera ad mensuram dari nequeant vt rectè communis tenet schola, imò nec quis teneatur ad illã mensuram de jure, cum jure licitum sit qualiter qualiter se corpusq; suum defendere *l. 1. D. bon. aut. qui aut. sens. mort.* & justus dolor, & se defendẽdi fervor aliquo modo excusent, certum est, actum ipsum nõ inspiciendum. Aut, si actus inspiciendus, & ex eo animus lædendi colligendus, sequetur, eum, qui inermem, latronem tamen & insidiatorem, gladio occiderit, præsumi habuisse animũ lædendi & offendendi. Quod tamen nemo sanus dixerit. Posterior ideò, quia, licet animus distinguat delicta, excusationẽ tamen mereatur necessaria illa coactio, & violenta defensionis extorsio, cum

alias

aliàs non ex animo, præsertim commoto, maximè hic in defensione, omni jure concessa, sed ex continuatione rēporis iudicādum sit de facto an iustè, an ex proposito fuerit factū, vt supra quæstione proxima diximus. Accedit id, quod *Obrecht* rectè addit *th.* 214. *Alias*, inquit, *si vis animum defendentis examinare, fieri potest, vt defensor provolvere, & cōtra vlor ipse defensore habeatur.* Et *th.* 215. *Ecce enim, si invasorem vi repellis, tuq; persuades, te vlcisci invasorē cessabit defensio, quia abest defendendi animus.* Et *th.* 216. *E contra si invasorem recedentē persequeris, existimans, te iuste te defendere, erit defensio, & non vindicta, quia ita animo persuasum habes.* Nos igitur statuimus, æstimationē desumendā esse ex ipsius invasoris iniustè allata vi. Quia necesse est inter offensionem & defensionem esse analogiā *dd.* 3. *d.* 1. *par.* 27. maximè cum omnis defensio sit quasi effectus offensionis tanquam causæ. Qualis igitur est causa, talis est & effectus; & ex causa æstimamus effectum. Suadet hoc & ipsa defensionis definitio, vt quæ dicitur esse iniuriæ propulsatio. Præsupponit igitur iniuriam, in primisq; intuendū esse admonet id quod necessariò antecedit, & sine quo alterum esse non potest. *arg. l.* 1. *par. fin. l. fin. D. off. ei, cui mand. est iurisd.* Adstipulatur auctoritas legis & juris in *l. si ex plagis* 52. *par. agr.* 1. *D. ad leg. Aquil.* in qua Alfenus lectus inspiciendū esse monet, nō quid is, de cuius defensione quæritur, fecerit, nec quo animo fecerit, sed principaliter quid is, qui læsus erat, fecerit, ibi: *culpam penes eū, qui prior flagell. percussit, residere.*

QVAEST. 10.

An differat inculpata defensionē egredi, & defensionē egredi?

PRo affirmativa est *Obrecht th.* 223. 224. 225. *& seq. inculpatā*, inquit, *defensionē egreditur, qui se quidem defendit, at plus, quam necessitas requirit: vt si quis te pugione invadit, tu gladij cuspidē opponis. Hoc facto, si alter vim sistit & retrocedit, tu verò vim facere non desinis, modum defensionis excedis. At defensionem egreditur, qui cessante offensione adhuc resistit, vt qui aggressorem suum fugientem persequitur & interficit. Hic enim se non defendit, quia cessat offensio, sed vindicat atq; vlciscitur. Vnde*

hæc defensio in aliud nomen transit, & vindicta appellatur. Hactenus Obrecht. Sed malè. Laborat enim sententia hæc petitione principij, Demonstrandum namq; esset, differentiã iure fundatam esse inter moderationem inculpatam, & inter defensionem, quã nos nõ agnoscimus vt supra quæst. 8. abundè evicimus, ex ipso Obrechto, qui sępè fassus est, moderationem inculpatam esse formam defensionis. Mitto, nullo juris aliquo textu distinctionem hanc probari posse. Præterea, ipsa exempla illã reijciunt opinionẽ. Quomodo enim poterit esse inculpata defensio, vbi nulla omninò est defensio? An nõ existentis aliquæ poterunt esse qualitates? Quæ autẽ in primo exemplo poterit esse defensio, vbi nulla est offensio? Is enim, qui pugione me invaserat, mucrone meo perterritus, vim sistit. Si sistit vim, vbi ejusdem, quæ per se cessat, necessaria est, vel esse potest defensio? Cũ sint relata *d. l. 3.* & defensio nihil aliud sit, quam iniuriæ propulsatio, Necessum igitur ex his erit, tam illo, quã hoc casu vindictam esse & offensam, non defensionem; corruere item illam in quæstione propositam distinctionem.

QVAEST. 15.

Moderamen inculpatæ tutelæ iurionè sit gentium, an civilis, quæstionis est apud iuris nostri interpp.

IVRIS gentium statuimus cum *Obrecht. th. 162.* & *seqq.* Cum enim omnis defensio contra vim atq; iniuriam est licita de jure gentium *d. l. 3. D. inst. & iur. iuncta l. 1. par. fin. l. 2. l. 4. l. 3. D. eodem.* nulla autem sit defensio, quæ non consistat in sua forma, ea nimirum, vt propellat iniuriam, nõ vt inferat, sequetur, formam hanc, quam ius civile nostrum in *l. 1. C. quand. lic. vnic. se fin. iud. vind.* dicit consistere in moderamine inculpatæ tutelæ, vnà esse à iure gentium Aut si non est a iure gentium, sequetur, de iure gentium nullam omninò esse defensionem, & reijciendos prorsus tum Ictũ, tum imperatorem Iustinianum, qui hæc omnia adscribunt iuri gentium. Quomodo etiam quid esse poterit quod formam nullam habeat, cum forma det esse rei & vnũquodq;

quod

quod est, sit id quod est, per suam formam, nō per suam materiam? Præterea, si defensio & iniuria sunt relata vt sunt *d. l. 3.* relata autem omnia tempore & origine quatenus sunt relata, simul sunt, vt hoc ita esse & natura & ratio dictat, omninè sequetur vti iniuria est iuris gentium (prohibet enim ius quoq; gentium iniuriam & insidias *d. l. 3.*) ita esse & defensionem, quam iustam tantum intelligimus, non aliam, tum, vt iam dictum, ex ipsa iniuria, tum ex eo, quod nulla Ictorum autoritate contrarium demonstrari possit. Ostensū quoq; supra est, defensionem omnem dependere ex actu ipso offendendi, qui actus, cum omnino nullam habere possit à iure civili formam, nec defensio habere poterit, quod tamen requiritur ad formam rei constituendam, & quidem circumscriptè & definitè, non indefinitè. Loquitur autem Ictus vbiq; in materia defensionis indefinite de vi atq; iniuria. Et quemadmodum impossibile est iniuriæ certam formam dare, ita & defensioni; cum hæc ex illius dimensione pendeat *l. 1 l. 2. C. quand. lic. vnic. se fin. iud. vind. d. l. 3.* Nec infringit sententiam nostram, quod contrarium sentientes se fundent in *l. 1. C. vnd. vi.* Quia d. l. excessum illum, quo vti multi solebant, corrigit, & tantum de defensione loquitur eodem modo quo Icti. Dicit enim *defensionem.* Præsupponit igitur iniuriam, & relata esse vult, vt igitur illud iuris gentiū ita & hoc. Deinde, *licet*, inquit textus, *propulsare illatam vim.* Sed quomodo? nū insequendo? Nequaquā, sed defendendo, quæ defensio quam diu propellit illatam vim, est iusta, & in terminis moderatæ tutelæ consistit, semper tamen iuris gentium. Hactenus igitur rectè cum Obrecht statuimus iuris gentium esse moderationem inculpatam, vt quam supra multis probauimus esse formam ipsius defensionis, quā iuris gentium esse, nullus negauerit. Displicet tamen id, quod rationis loco addit idem Obrecht dum *th. 163.* subijcit: *Nam sicut*, inquit, *hoc iure, non simplex defensio, sed iusta, & quæ societati humanæ inseruit, laudatur, quia illa etiam brutis animalibus vt rationis, ita & iuris expertibus conuenit.* Nulla siquidem, vt superius q. 2. pluribus demonstratum est defen-

sio simplex cui opponatur iusta, nulla homini cum bestijs, aut bestijs cum hominibus communis. Nec prætereundũ id, quod idem *tb.* 164. 165. innuere videtur, aliquã esse defensionẽ quæ intra limites moderatæ tutelæ nõ subsistat. Opponit enim inter se defensionẽ iustã & defensionẽ simplicẽ. Hanc brutis, illã hominibus dicit convenire, Quia iusta nõ cõvenit bruris, cũ ratione careant & iure. Et iustã dicit esse moderatã seu eam, quæ in moderamine inculpatæ tutelæ consistit. Si hæc justa tantum ex moderamine, sequetur, illam alteram iniustam esse. Si iniusta, quid defensionis nomine indigitãda? Quid virtutis nomine vitium condecorandum? Quomodo huic opinioni conveniet definitio ipsius defensionis, quę iniuriæ dicitur esse propulsatio. *l. 1. C. vnd. vi, d. l. 3.* Si iniuriæ quomodo post eam remotam, cum in adversativa sit *d. l. 3. l. 1. par. 27. D. vi. & vi arm.*? Aut, quomodo subsistere poterit id quod iam ante pluribus ab eodem auctore inculcatũ est nempe defensionem esse à iure naturali & iuris naturalis? si enim illa est iniusta, quomodo poterit esse essentialis pars vel efficiens iustæ defensionis, & æqui iuris? Quomodo privatio poterit esse causa positivi? Quomodo id, quod natura contrariũ poterit esse materia eius cui natura est cõtrariũ? Aut, si defensio illa, quæ moderamẽ inculpatę tutelę egreditur est iuris naturalis, vt idẽ vult, & defensio quã iustã dicit, ex eo admissa sit, quod sit iuris gentium, naturalis & civilis, quis est, qui non videat eundem idem mox negare, dũ simplicem eã dicit & iustæ opponit, & brutis animalibus tamũ tribuit? Quæ cũ omnia absurda, ex supra proposita promaneant hypothesi, reijcienda meritò veniunt, nobiscũq; statuendũ, defensionem nullam esse simplicem, nullam cõuenire animalibus brutis, nullam esse iuris naturalis, sed omnẽ iuris gentium, & hominibus tãtũ cõvenientẽ ex præscripto. *dd. 3 d. 1. par. 27. D. vi & vi arm. l. 3. C. vnd. vi.*

NEgamus rectè cum *Obrecht sth. 177. num seqq.* autoritate legum & rationum. Legum: *d. l. 3. D. iust. & iur. l. 2. l. 3. C. ad leg. Corn. de sicar. l. 1. par. vim vi 27. D. vi & vi arm. vim vi* inquit vt ostendat, quemadmodum vis fieri potest variis armis, quæ pro libitu suo eligit vel eligere potest insidiator vel aggressor, ita quoq; libitu defensoris fieri potest defensio armis vel libitu vel necessitate comparatis. Et vbiq; generaliter loquuntur lecti, & inspiciunt factum vtriusq, tã offendentis, quàm se defendentis, vtrumq; ex animo, in offẽdente iniuriandi & lædendi, in defendente, sese tuendi & defendendi, vt si adfuerit ad depellendam vim iniustam animus defendendi, non offendendi, qui tamen ex iniuria vti supra notavimus, æstimandus venit, meritò & ipso iure excusetur *l. 4. D. ad leg. Aquil.* vt pote ob tutelam Corporis sui defensionemq; propriè salutis factã. *l. 3. C. ad leg. Corn. de sicar.* Quem admodum igitur lex in offensione requirit offendendi animum. *d. l. 1. C. ad leg. Corn. de sicar.* ita & in defensione *d. l. 3.* vt vbicunq; sit animus se defendendi homicidium exinde cõmissum, sive paribus, sive impanbus armis, iure cõmissum dicatur. Rationũ. Primò. Quia nemo tenetur se discrimini objicere, tũ propter benè ordinatã caritatem, quæ à semetipsa incipit; tum propter rempubl. cum nemo sit dominus suorum membrorum *l. liberi homines 13. D. ad leg. Aquil.* quod tamen hic fieret, si eo armorum genere repellenda esset vis atq; iniuria insidiatoris (sive latronis ex improviso nos adorientis. Deinde, id quod pro commoditate & salute hominum introductũ est à iure, contra ius verteretur in eorum incõmodũ & detrimentũ, quod tamen neq; iuris, neq; æquitatis ratio patitur. *l. nullatenus 25 D. legib.* Hoc autem ex opinione illa sequeretur. Nam si quis me insequatur stricto gladio & saluti corporis mei insidietur, nec ego habeam gladium quo me defendam, habeam tamen bombardam, iniustum sanè esset, ex opinione superius allata eius impetum bombarda repellere, & iustum

è contra esset, memet ipsum negligere, & leges & justiciã & rempubl. quod tamen nemo sanus dixerit. Parilitatem ergo armorum nullo modo de iure necessariam dicimus, sed quocunq; telo vim atq; iniuriam propelli posse, cum Obrecht. & reliquis Ictis concludimus. Et hoc in tantum verum esse statuimus, vt hanc Dd. disputationem de armorum parilitate omninò supervacuam esse constanter affirmemus, cum sententia nostra tam iure fundata sit, vt negativæ ne vel minima quidem relicta fuerit dubitandi ratio, maximè cum ex animo æstimemus iustum ne, an iniustum fuerit. *d. l. 1. C. ad leg. Corn. de sicar.* Removemus quoq; ex eodem fundamento opinionem *Obr. th.* 188. & cum *Bald. et Angel.* statuimus simpliciter coedentem pugnis rectè gladio repelli posse. Sic enim æstimat id nobiscum Ictus, vt semper animus iniuriandi excitet animum defendendi. Defendendi autem animus ex armis non æstimatur, sed ex semet ipso, & in homicidio excusatur si ille animus adfuerit, nullo habito respectu ad arma. Nec satis firma est in contrarium *Obrechti* ratio. *Cum enim*, inquit, *th.* 189. *vita per pugnos non vocatur in discrimen, pugni armis repelli nequeunt.* Respondemus: Maior laborat petitione principij, eaq; duplici. Probandum siquidem primo esset, tantum eo casu licitum esse armis se defendere, vbi periculum est de vita. Quod nos negamus. Nam & in rerum defensione possumus armis vim repellere. *d. l. 1. par.* 27. Nec Ictorum vllus vspiam distinguit, sed in genere, sub quo continetur & ea quę armis sit, defensionem concedit, & præterea, vt iam multoties dictum, vbicunq; est iniuria & vis, ibi defensionem concedit. Atqui hic est vis atq; iniuria. Defensio igitur etiã erit, defensio in genere. Altera petitio principij est, quia & pugnis quis facilè vel quandoq; occidi potest, vt si quis fortè gulam alicui manu intercludat, & spiritum excludat & ita suffocet: aut etiam fortiter manu vel pedibus pectus alicuius percutiat, vt deliquium animi & mortem ipsam patiatur. Quinimò fieri facilè potest vt adgressoris vel percussoris in tantum fu-

ro-

torem excrescat ira, vt iam non tantum de corporis aliqua portione, sed de vita ipsa discrimen extremũ subeat, & quidem proprio merito, quia, si statim initio mucronem illi opposuisset, remisisset ira, cum semper quoq; vtilius fuerit intacta iura servare, quã post vulneratam causam remedium quærere. Falsum quoq; ex iam dictis & illud quod idem *th.* 186. statuit, eum, qui pugnos armis depellit, vltionis esse reum, cum tamen vltio nulla sit, nisi animo iniuriandi & vlciscendi accedente. Falsum, talem defensionis limites egredi. Falsum, abesse iustum metum mortis & vulnerum. Falsum, magis iniuriam vindicari, quam corpus defendi. Falsum, secundum Hippol. defensionem talem ad excusandũ homicidium non esse satis idoneum. Falsum, ad mitigationem tantum pœnę defensionẽ talẽ cõducere. Quod enim prohibente iure & contra ius fit, pœnę mitigationem vix meretur, cum iusticia repugnet, in tantum, vt credam nec magistratum posse, vbi certa pœna alicui delicto fixa est, illam vel remittere, vel mollire, vel exasperare. De quo tamen alibi. Parum faciunt, quæ adducit, prouocatum scilicet taliter difficillimè posse iustum illum dolorem temperare, ideo pœnam esse mitigandum. *l. 38. par. imper. D. ad leg. iul. de adult. l. qui cum natu maior. par. si libertus D. bon. libert.* Nam in vtraq; quæstione omninò diversa ratio est. Ind. l. 38. par. 8. rectè quidem dicitur de mitigatione pœnæ, h. e. ita dicitur vt præsupponatur non licitum esse legibus adulterum occidere, cum eo casu alia adsit rei vel delicti persecutio, ex lege & iure proveniens, & cum non sit licitum & tamen fiat, & fiat iusto aliquo dolore h. e. tali, quem lex agnoscit iustum, meritò quid indulgetur dolori tali & effectui eius. Hæc autem ratio planè cessat in hoc casu nostro. Nusquam enim prohibitum est propellere vim pugnis illatam armata manu. Vbi igitur nec pœna est, nec fieri poterit eiusdẽ mitigatio, cũ non entis nullæ sint qualitates. Deinde ibidẽ alia ratione iniuriã illã vindicare poterit, accusando nimirum coram iudice, sine suo incommodo. Quod secus est in defensione, cum ibi semper melius sit in-

tacta

tecta iura seruare, quam post vulneratam causam remedium quærere. Poterit quoq; esse nõ exigua ratio, quia adulterij probatio omnium maximè est difficilis. Ne quis igitur iniustè & causa non rectè & legitimè probata interficiatur, merito hoc ideo est statutum. Idem est in *l. 14. par. si libertus D. de bon. libert.* Vbi excusatur quidem libertus, sed ideò, quia aliàs iure prohibitum est libertis, ne patronos suos vel liberos patroni accusent, sed potius iure teneantur liberti operas domino suo & eiusdem filijs præstare, nec illos in jus sine impetrata venia vocare, *l. 4. par. 1. l. 10. par. 2. 3. 4. 5. D. in ius vocand.* Ibi ergo præsupponitur pœna legibus præscripta, quæ hic in nostro casu nulla'. Præterea ibidem lectus loquitur de læsa maiestate, quæ actio & accusatio multa habet singularia, ideoq; huc non transferenda. Quæ enim specialiter alicui concessa sunt, ea non sunt trahenda ad consequentiam *l. qua specialiter D. de legib.* Falsum tandem ex superioribus esse constat quod *Obrecht. th. 191. & Dd. communiter*, differentiam constituunt inter senem valetudinarium & imbecillem, & robustum, cum vnicuiq; defensio, legitimus modus, sit concessa, maximè cum aliter defendere se nequeat, & post vulneratam causam imploratio iuris futura sit elusoria. Rectè igitur concludimus, jure feciſſe eum qui ob tutelam corporis sui adgressorem, quocunq; armorum genere, defendendo se, interfecerit.

FINIS.